



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Capvt Tertivm. De vacatione Beneficiorum ob delictum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

clesiam, à qua volens transferretur, seu quam dimittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absoluitur in Consistorio Sanctorum, etiam ante expeditionem litterarum apostolicarum, vel adeptam possessionem secunda Ecclesia &c. Et postquam hujus absolutionis notitiam habuerit Episcopus, etiam ex testimonio seu documento Secretarii Collegii istius Cardinalium, illico teneri abstinere ab exercitio jurisdictionis ordinariæ, eamque transferre in Capitulum tanquam sede vacante, nisi forte Papa aliter disposuerit. Engels ad tit. de translatione. n. 5. ex eodem Barb. Si autem forte dein nancisci non posset possessionem dictæ Ecclesiæ, idem videtur dicendum, quod ante dictum de vacatione aliorum beneficiorum per promotionem ad Episcopatum primum.

5. Porro si Episcopus propria auctoritate se transferret ab uno Episcopatu ad alterum, amittit prius habitum, seu privatur illo, non quidem ipso jure, sed per & post sententiam condemnatoriam

judicis, argumento c. si quis Episcopus. 7. q. 1. adde- que remanet Episcopus prioris Ecclesiæ, & clerici ejusdem illi obedire tenentur, donec per sententiam illâ privetur. Pirh. loc. cit. n. 12. citans Abb. in c. quanto. de translatione. n. 13. Addit etiam ibidem Pirh. quod illa utriusque Ecclesiæ privatio tunc contingat, quando Episcopus & sine venia relinquit Ecclesiam primam, & sine venia etiam ad aliam transiit; aliâ enim privandum solum illa Ecclesiâ, quam sine venia relinquit, vel solum eâ, ad quam sine venia transiit. Eandem doctrinam, nimirum quod post judicis sententiam privetur relicta Ecclesiâ, tenere videtur Laym. ubi in sum- mario ad tit. c. quanto. ait: Utroque Episcopatu carere debet saltem post judicis sententiam. Contrarium tamen tradit Azor p. 2. l. 7. c. 16. q. 12. ubi expresse: Si Episcopus auctoritate sua ad secundam Ecclesiam & sedem se transferat, utramque ipso jure amittit, citans pro hoc idem c. quanto.

CAPUT TERTIUM.

DE VACATIONE BENEFICIORVM OB DELICTVM.

PARAGRAPHVS I.

De sententia privationis ob delictum in genere.

Questio 161. Cum beneficia vacant per depositionem, seu privationem ob crimen, ut habet communis sententia. Garc. p. 11. c. 10. n. 1. citans Selv. p. 3. q. 2. & 3. Coraf. de benef. p. 1. c. 10. n. 1. Rebuff. Mandos. &c. qualis hic nomine sententiæ intelligatur sententia, cui vacatio hac beneficiorum subiacet?



Respondeo: Venire non solum sententiam hominis (prout ea juxta l. 1. ff. de re judic. est pronuntiatio judicis ad finem controversiæ aut absolvendo, aut condemnando) sed etiam sententiam legis (cujus virtus non minus consistit in puniendo, quam imperando & vetando) quatenus hanc suam vim puniendo exercet. Lott. l. 3. q. 18. num. 1. & 2.

Questio 162. In quibus potissimum differant amba he sententia in ordine ad præsens institutum?

Respondeo ferè ex Lott. in sequentibus: Primum, quod sententia legis majorem virtutem habeat; cum enim vis illa sententiæ à ratione proficiscatur, quæ est cum cognitione causæ, feraturque sententia legis (ut pote quæ, ut ait Papinian, in l. 1. de ll. virorum prudentum consultum est)

majori cum cognitione causæ, quam sententia hominis, ut Bald. conf. 118. n. 2. l. 4. majorem quoque sortitur virtutem, quam quæ valeat attribui sententiæ cujusvis judicis, Lott. loc. cit. n. 3. citans Old. conf. 227. n. 4.

2. Secundò ac præcipuè, quod sententia legis feratur perpetuè ex supposito facti jam liquidandi; sententia verò hominis ex supposito facti jam liquidii; unde illa semper expectat probationem post se, hæc exigit probationem ante se. Lott. n. 6. ex Old. loc. cit. sicut enim judicis prius cognoscendum est, quam condemnari. l. 1. c. de exeq. rei judic. quia potest decipi in sensu proprio; ita legi nusquam est intentio quenquam puniendi, qui non deliquit. l. absentem. ff. de penis. Unde etiam, cum sententia legis feratur non nisi ex suppositione delicti, & non aliter pœnam irroget, de ea dubitari non potest, quin justa sit. Econtra, cum sententia hominis inniti debeat veritati facti, etiam sistendo partium allegationi, adeoque facile sit, ut labatur, & decipiatur secundum humanam conditionem, in statuenda illius justitia multum hæremus. Lott. à n. 13. durante etiam hac hesitatione, quamdiu ex judicato non conciliatur huic sententiæ præsumptio justitiæ. Lott. n. 16. ut enim aliquando sit finis litium, bono publico inductum est, rem judicatam pro veritate haberi. l. res judicata. de reg. juris. Et si cui liceret hanc judicato virtutem elidere pretextu injustitiæ, cederet hoc in manifestum spretum & vilipensionem magistratuum. Obtinetque hoc ipsum, etiam si sententia transiit in judicatum ob omisam appellationem, in tantum, ut non sufficiat dicere, eam non justificari ex actis juxta Theoricam In noc. in c. quoniam contra. n. 8. & 9. de probat. ubi hoc adducit in materia incursionis censurarum. Lott. n. 19. & 20. Ex quibus concluditur cum plerisque, quod postquam senten-

sententia transit in iudicatum, non esse tractandum de illius iniustitia. Lott. nu. 21. in specie citans Angel. *conf.* 302. n. 3. Zaf. *consil.* 3. n. 3.

3. Tertio quod hinc profluit, & spectat utriusque sententia diversimodam executionem. Quod lex sive penam inferri imperet, sive eam ipsamet irroget, semper intendit fieri, seu dari executioni ministerio & auctoritate iudicis, juxta Bald. in *auth. qui semel. c. quem, & quando iudic.* Lott. nu. 22. citans insuper Felin. in *c. Rodolphus. de rescrip.* n. 34. ita ut si lex jubeat privari, iudex pronunciare debeat privandum, & non declarare privatum; hoc enim pronunciaret contra juris intentionem, idque, etiam si factum esset notorium. Lott. n. 23. citans Felin. *ubi ante n. 37.* si autem lex ipsamet privet, iudex pronunciare debet super facto, cujus causam irrogata est privationis poena; super hac autem minime ejus sententia est necessaria, quia super hac lex ipsa pronuntiat. Lott. n. 24. Unde in primo casu sententia iudicis est de essentia poenae, in secundo de essentia executionis tantum. Lott. nu. 25. ex Bald. & Felin. Adeoque hac sit ratio necessitatis istiusmodi declaratoriae iudicis super facto, dum poena ipso jure imponitur, ita ut illius executio de facto aliter attendari nequeat. Lott. nu. 62. citans Gl. in *c. praesenti. v. constituit. de poenis.* Jo. And. & Gemina. in *c. 1. de homicid. in 6.* Felin. *loc. cit. n. 35.* cum plurimis per hunc citatis. Unde dum pender discusso, an sit locus privationi ipso facto inducta, reus manentem debet in sua possessione. Lott. n. 28. citans Rot. in *Tullens. monasterij.* 15. Febr. 1610.

4. Quarta differentia est, quod sententia legis nullam provocatione seu appellatione suspendatur, quod minus secum trahat executionem. *l. fin. ff. de appellat.* eam, non cognitore aliquo, sed mente ipsius legis promovente ac moliente. Lott. nu. 51. & 52. a sententia vero hominis detur appellatio. Vide de hoc dicenda pluribus post aliquot quaestiones.

Quaestio 163. Num igitur etiam in poenis, quae non exigunt factum hominis ad executandum, sit necessaria istiusmodi declaratoria?

Respondeo: Esse id admodum controversum inter Auctores. Negativam, seu quod ea opus non sit, tenent Bald. in *l. qua sub condicione. §. ult. n. 3. ff. de condit. Felin. l. c. n. 28.* Prob. ad monach. in *c. si cui. n. 6.* Decius *conf.* 145. n. 4. & alii apud Lott. *loc. cit. nu. 30.* affirmativam tenent Gl. in *elem. ult. v. constituit. de censibus.* Anchar. *ibid. n. 4. & 5.* Archid. in *c. felix. n. 14.* Jo. And. n. 4. & quos citat, & quorum sententiam veriolem affirmat Lott. nu. 31. De cetero, ubi factum, ex quo concluditur delictum, est notorium, nullam istiusmodi sententiam declaratoriam opus esse, conveniunt omnes, praecipue scribentes in *c. cum non ab homine. de iudic.* Lott. nu. 32. citans in specie Abb. *ibid. n. 29.* Felin. *ubi supra. n. 37.* Et sic quoque ait Garc. p. 11. c. 10. n. 36. dum privatio beneficii esset notoria, non esse opus sententiam declaratoriam delicti, sed ante hanc teneri delinquentem illud dimittere: data autem hac notorietate, sufficere assignationem termini ad excusandum factum, ut mox, eo elapso, procedatur ad executionem poenae, ait Lott. n. 33. ex Gemina. in *c. cum secundum. de heretic. in 6. n. 3.* licet subdat n. 34. ex Felin. *ubi*

ante. vi. n. 37. nec id praecise necessarium, nisi ubi agitur de praedictio irretractabili.

Quaestio 164. Cum C. consuluit. 14. de appellat. dicatur: pleraque iudicantur notoria, quae non sunt; unde constituatur hac notorietas?

1. Respondeo primo: pro hac qualitate notorietatis inducenda exigi, ut non solum res veritas justificetur ex facto; sed cum hac ipsa qualitate, quod ea notoria sit. Lott. *cit. q. 18. n. 38.* citans Rot. *decis. 6. de except. n. 4. in novis.* Surdum *conf.* 188. n. 13. & c.

2. Secundum notorium non esse, quod simpliciter verum est, vel etiam manifestum; sed cujus veritas publice, adeoque majori parti populi est pateus, ut ideo nullo modo valeat celari. Lott. nu. 39. citans Surdum *ubi ante.* Paris. *conf. 1. n. 34.* subjungit tamen Lott. n. 41. id non adeo ruditer intelligendum, quod minus ad constituendum simplex notorium facti sufficiat id gestum coram decem hominibus, juxta Cynum in *l. ea quidem. c. de accusat. n. 1. & 2.* cum multitudo conficiatur ex turba, turba autem a numero decem hominum. *l. 4. ff. vi honor. rapt.*

Quaestio 165. Qualiter hac notorietas elidatur, & justificanda?

1. Respondeo ad primum: Si is, contra quem intenditur hac notorietas, factum simpliciter inficietur, ex hac sola negatione diffuit hac circumstantia, seu qualitas notorietatis. Lott. *cit. q. 18. n. 43.* citans Felin. in *c. Rodolphus. de rescrip. nu. 37.* Unde

2. Respondeo ad secundum: Etsi aliis factis sit, notorium allegare. Lott. n. 44. citans Franc. Gemina. Cardin. id tamen non sufficit; dum hoc ipsum in dubium revocatur. Lott. *ibid.* ex Felin. in *c. si clericus laicum. de foro comp. n. 3.* Nam ubi aliquid debet constare (uti debet in praesenti, dum irrogata poena ipso jure, opus non est declaratoria iudicis, debet constare de notorietate facti) non sufficit id allegari. Lott. n. 45. qui etiam subdit n. 46. ex Jason. in *l. si vero. ff. qui satis non coguntur. n. 12.* vix excogitabilem esse casum, in quo evitari possit necessitas justificandi hanc notorietatem, etiam si illa plus quam vera sit; cum licet innotescat aliis, tamen adhuc non sit cognita iudici tanquam iudici. Quod ipsum ut praeteretur, necessaria est causa cognitio, praevia citatione partis. Lott. n. 47. citans Ferret. *conf.* 31. n. 35. & Rott. *decis.* 25. n. 8. p. 1. *divers.* Nisi agatur de notorio facti permanentis. Lott. n. 48. citans Abb. in *c. dudum. de Elect. n. 6.* Etsi itaque necessaria sit simplex justificatio notorietatis, non tamen requiritur speciale pronuntiatum super ipsa hac notorietate: Et qui id requirunt, potius id requirunt ad majorem cautelam, quam ex necessitate. Lott. n. 49. citans Cardin. in *Clem. Pastoralis. de re iudicat.* Atque hac procedere, ait Lott. n. 50. ubi idem est cognitor delicti & executor sententiae legis. Secus dicendum, si hi diversi sunt. Sic v. g. beneficio privatum ipso jure ob delictum, passumque sententiam (intellige declaratoriam per iudicem cognitionis, sive qui de delicto cognovit) adhuc pro spoliatione beneficii debere citari per iudicem, ad quem pertinet privatio, etiam si delictum per sententiam dicatur

dicatur notorium: citat pro hoc Innoc. in c. qualiter & quando de accusat. n. 10. Goffred. conf. 47. n. 10.

Quaestio 166. An, & qualiter interea, dum factum excutitur pro obtinenda declaratoria, ubi ea opus, suspendatur executio sententiae legis irrogantis ipso jure privationem beneficii?

Respondeo: eam non suspendi interea juxta dicta q. 2. hujus §. ex Lott. sed à momento commissi criminis re ipsa amitti titulum, & jus omne in beneficio; cum enim lex vacationem induxerit, eo momento, quo in eam commissum est, notat factum, non sententiam circa factum: & patet hoc ipsum in effectu; nimirum quod reus ab eo momento nihil possit statuere de beneficio, & quod reus frustra interea nitatur à se abdicare beneficium, & etiam si moriatur, nihil per ejus obitum vacare intelligatur. Neque interea fructus faciat suos, sed perceptos teneatur restituere (ut prae-ter Auctores paulo post pro ipsa principali responsione citandos. Barb. juris Ech. l. 3. c. 14. n. 68. citans Paris. l. 3. q. 1. n. 87. Vivian. Chok. & alios) item (ut Card. de Luca de benef. d. 74. n. 4. Barb. loc. cit. n. 69. citans Rebuff. in pr. tit. de mod. amitt. n. 52. Paris. Chok. & c.) mox conferri possit. Lott. l. 3. q. 18. n. 58. Castrop. tr. 13. de benef. d. 6. p. 2. §. 8. n. 1. ubi: esto, requiratur sententia declaratoria criminis, ut privatio executioni mandetur; at à puncto commissi delicti ita infirmatur titulus & possessio beneficii, ut postea sententia rescindantur omnes transactiones factae tam beneficiorum, quam fructuum, ipsumque beneficium non sit censendum vacare obitu delinquentis, sed privatione delicto annexa. Azor. p. 2. l. 7. c. 17. q. 2. Gonz. gl. 15. n. 140. cum communi.

2. Hujus contrarium est, dum cessante hac legis sententia irrogante ipso jure dictam poenam, poena haec aliter non infligitur, quam ex pronuntiatione Judicis; si enim interim, dum causa trahitur, reus cedat vel decedat, utique hinc vera resultabit vacatio, quamcumque pretendatur, eum omnino privandum fuisse. Lott. ibid. n. 61. citans Rebuff. ubi ante n. 51. & late Gabri. conf. 196. n. 1. & per totum l. 1. Sic in hoc secundo casu, quousque per tres sententias conformes, vel per unam, quae transeat in rem judicatam, quis condemnatur, non magis potest privari fructibus post delictum, & ante sententiam diffinitivam acquisitis, quam aliis bonis suis; quia justo & legitimo titulo eos acquisivit. Castrop. loc. cit. Paris. l. 3. q. 16. n. 7. Lott. l. 3. q. 33. n. 71. subdens etiam, quod haec obligatio de restituendis fructibus à die commissi delicti vix sustineatur in eo delicto, pro quo poena privationis inducitur ipso facto, seu jure; citat seipsum l. 3. q. 18. n. 60. Covarr. in Epitom. de sponsal. p. 2. c. 6. §. 8. n. 8. Monet. de distrib. quorid. p. 2. q. 17. n. 8. & c. subdit tamen Lott. n. 73. fatendum nihilominus, si agatur per viam solennis accusationis per impetrantem, cui veluti habenti titulum aliquem jam possint tales fructus applicari, & delictum sit hujusmodi, ut quamvis propter illud non sit inducta vacatio ipso jure, inducta tamen sit irregularitas, posse sustineri sententiam Castrensis doctis, alias debere restitui fructus perceptos; quin & qui percipi potuerunt à die commissi criminis, pro cujus de cetero sententia quamplurimos à Farinac. citatos perperam, utpote id non dicentes, vide apud Lott. an. 74. Item firmiter & irrevocabili-ter resignare potest beneficium; quia id illius

est eo usque; verum de hoc secundo plenius infra, ubi, an & qualiter criminosis resignare possint, de quo vide Paris. l. 3. q. 16. per tot.

3. Sed neque obstat, quod in casu privationis ipso jure Judex pronuntiaret, se ob tale delictum privare (quod male faceret excedendo fines; cum duntaxat declarare, seu pronuntiare deberet, aliquem esse privatum, ita ut ne utriusquam actus privationis illi sit attribuendus) utriusque enim talis formula (nempe quae privatum declarat, & quae se eum privare pronuntiat) idem est sensus & totum secundum juris intellectum refertur ad extrinsecam executionem, & illius consecutiva. Lott. l. 3. q. 27. n. 74. citans Felin. in c. Rodulphus. de rescrip. n. 34.

Quaestio 167. Num igitur etiam committens crimen ob quod incurrit poenam privationis ipso jure, ita statim amittat titulum, ut statim quoque teneatur illud in conscientia dimittere, etiam ante sententiam declaratoriam facti?

Respondeo: in hoc valde inter se diffidere Auctores, etiam eos, qui aliàs concorditer cum communi sententia in hac dicta in praed. quaest. mox à commissio criminis amitti titulum, seu jus illud stabile, quod quis per legitimam provisionem ante obitum in beneficio, & vel hinc ex eo momento non posse fructus facere suos, disponere de beneficio & c.

2. Negativam, sive non teneri in hoc casu aliquem dimittere possessionem beneficii, sed eam cum tota jurisdictione antea habitam retinere licite posse, & hanc usurpare usque ad sententiam declaratoriam commissi criminis; adeoque possessionem hanc post crimen admissum eo usque esse & manere veram possessionem juris, & non tantum facti cum jus nullum obliget ad eam dimittendam, tenent Tond. in qq. benef. p. 1. c. 27. n. 22. ubi: in omnibus casibus, in quibus beneficii privatio inducitur ipso jure ex causa delicti, certum est, interim, donec rata sententia declaratoria facti, possessorem manere utendum esse. Idem habet Lott. l. 3. q. 18. n. 28. Item Less. de justit. l. 2. c. 29. n. 63. Azor. p. 2. l. 7. c. 17. q. 3. Pirh. ad tit. de concess. prob. n. 25. citans Laym. theol. mor. l. 4. tr. 2. c. 17. n. 1. Vasq. l. 2. de 168. n. 23. Suarez de cens. d. 27. §. 1. n. 8. & de relig. l. 3. d. 4. c. 43. n. 13. & c. 58. n. 2. Molin. de justit. To. 1. tr. 2. d. 96. Soto. de just. l. 1. q. 6. a. 6. Covar. in 4. p. 2. c. 6. §. 8. n. 8. Nav. in comment. de datis & promiss. n. 61. Henric. in sum. l. 7. c. 36. §. 1. lit. f. & alii plures apud Garc. p. 11. c. 10. n. 8. sic in genere de lege poenali ipso jure seu facto irrogata poenam censent praeter jam citatos quam plurimi citari ab eodem Garc. n. 9. puta Nav. in Man. c. 21. n. 69. Botta. de Synod. p. 3. a. 2. n. 106. Guttier. qq. canon. l. 1. c. 1. n. 23. Rigol. decisio. tab. 2. c. 6. §. 1. n. 21. Zerol. in pr. Ep. v. privatio Valet. To. 2. d. 7. q. 5. p. 6. Cajetan. 22. q. 62. a. 3. & in sum. v. p. ana. Vega. in sum. p. 2. c. 33. casu 6. & 7. Sylv. Bannez & c. quod, dum irrogata poena consistit in mera privatione, & non requirit aliquam actionem, seu executionem positivam; sed primam rei acquisitionem impedit, obliget ad poenam absque Judicis declaratione, ut contingit in excommunicatione, suspensione, irregularitate, inhabilitate & similibus, dum verò poena requirit aliquam actionem seu executionem positivam, seu imponitur in re jam quaesita, & est privatio rei jam quaesita, & habitae, non obligat in conscientia ante sententiam, saltem de-
clara-

claratoriam. Quin& aliqui ex his AA. nempe Vasq. Molin. Soto. Gutrier. Bannez &c. apud Garc. n. 10. tenent, quod, dum quis ob delictum a lege privatur ipso jure bonis suis, ante sententiam non solum retineat legitimam eorum possessionem, sed & dominium; aliis, puta Lessio *loc. cit. n. 64.* Valent. Vega. Cajet. &c. *ll. cit. apud Garc. n. 11.* sententibus contrarium, nempe amitti statim in hoc casu ipsam rerum proprietatem & dominium, & illud acquiri fisco, relicto delinquenti sola possessione & usu usque ad sententiam declaratoriam, executione tamen post hanc subsecuta retrotracta ad tempus commissi criminis. Quas sententias conciliare volens Garcias n. 12. ait, primam intelligi de dominio naturali, seu de jure naturali; secundam de dominio civili, seu de jure civili & canonico, Illudque de non amissione dominii, aut saltem possessionis in beneficiis Ecclesiasticis. Aliqui eorum, ut Molin. *cit. d. 69.* Soto *cit. a. 6.* Gutrier. *loc. cit. n. 28.* Zechus, & alii apud Garc. n. 13. intelligi volunt, dum in sententia legis seu canonis non subjungitur aliquid verbum, unde constet, mentem Papae esse, ut amittantur, nulla exceptata sententia; v. g. dum post illa verba: *ipso facto privatus existat beneficio*: adderetur: *illudque absque declaratione aliqua vacare censetur*: vel *ac sine ulla inquisitione, citatione, iudicio decreto aut ministerio ipso facto privati existant*: vel ut Less. *cit. n. 63.* diceretur: *teneri in conscientia dimittere*: vel *non posse absolvi, nisi dimittat*: vel *beneficium eo ipso vacare*, ita ut alteri liberè conferri possit. Verum neque tunc, cum diceretur: *privatus existat ipso facto absque ulla declaratione*: teneri delinquentem in conscientia dimittere beneficium ante sententiam, tenent Covarr. Zerol. Vega. Vasq. Henriq. & plures alii citati apud Garc. n. 14. dictam clausulam: *absque ulla declaratione*; intelligentes de declaratione, qua declararetur, poenam esse incursum, non autem de ea, qua declaratur, crimen esse commissum; quae expositio, ait Less. *cit. n. 63.* etiam videtur non in nihil violenta, tamen usus eam confirmat: ita enim sunt usu receptae leges istiusmodi, ut ante declarationem criminis possessores non teneantur resignare. Imò tenet Covarr. *loc. cit. n. 8.* privatum per sententiam, vel privatum ipso jure, etiam secuta sententia declaratoria, pergentem possidere non censei intrusum, & non teneri adhuc in conscientia dimittere beneficium, donec spoliatur ipsa possessione, & beneficium ei adimatur, seu nisi ipsa executio fiat per sententiam. Covarruviam quoad hoc sequitur Lessius dicens, sic habere usum; ita ut per eam non solum declaratur crimen, sed etiam reus ipse privetur beneficio, non censetur omnino privatus, Unde etiam istae leges, quae statuunt, ut beneficium ipso jure vacet, ut in *Extrav. ambitiosa. de rebus Eccl. non alien.* non videntur in illo rigore receptae, ut sponte se reus teneatur spoliare; licet nec spoliatus ipso jure bonis suis tenetur poenam exequi, & bona sua offerre fisco, etiam si id ipsum ei præcipiatur, ut Covarr. & alii apud Garc. n. 16. In summa itaque locum habet, secundum hanc sententiam, quod supradictum ex Lott. quod lex, sive poenam irroget ipso jure, sive eam inferendam imperet, semper intendat, id fieri, seu dari executionem ministerio & auctoritate iudicis.

3. Contrarium seu affirmativam, nimirum, quod ob delictum per sententiam legis ipso jure privatus beneficium in conscientia debeat illud statim simpliciter dimittere ante omnem sententiam, etiam declaratoriam, tenent Garc. *loc. cit. n. 18.* citans

Abb. in *repet. c. extirpandi. de prob. n. 24.* Felin. in *c. nostra. de rescrip. n. 12.* & in *c. inquisitionis. n. 7.* Nav. in *man. c. 23. n. 67.* Lorcam 1. 2. d. 24. de *ll. memb. 2. §. ult.* Item Tiraq. in *l. si inquam. c. de revocat. donat. v. revertam n. 236.* Alph. Castrens. 1. 2. de *justa punir. hereticor. c. 7.* & 1. 2. de *lego penali. apud Azor. p. 2. l. 7. c. 17. q. 3.* Item Parisi 1. 3. q. 1. n. 58. citans insuper Ruin. *conf. 4. n. 1. l. 5.* & Hojed. de *incomp. p. 1. c. 13. n. 61.* quamvis Parisius expressè non addat ante sententiam. & 1. 11. q. 10. n. 11. doceat cum communi in genere, non semper hoc ipso, quod ipso jure amittatur dominium, amitti etiam possessionem, Pluribus id ipsum confirmat Garc. Primò: quod licet lex non debeat, aut etiam fortè non possit (ed quòd id intolerabile & moraliter impossibile) obligare in conscientia delinquentem, ut ipse sit executor poenae amissionis bonorum suorum, licet de cetero ad aliquas parvas poenas recte possit obligare in conscientia ante condemnationem. Garc. n. 19. citans Navar. in *Man. c. 23. n. 67.* Molin. *loc. cit. d. 95.* Suar. *ro. 5. d. 8. si. n. 10.* Vasq. &c.) & sic per verba illa: *ipso jure*, seu ipso facto non censetur ad hoc obligare; in bonis tamen communibus, qualia sunt beneficia, & officia publica, rectè potest delinquentem obligare ad illa dimittenda ante sententiam, cum illa particulariter dependant à lege Ecclesiastica seu rep. vel principe, à quibus conferuntur, & sic possint ab iis dari vel auferri, ut placuerit, maxime ex causa, ut apud Garc. n. 20. tenent Sylv. Sot. Gutrier. Molin. Vivald. & specialiter Henriq. in *sum. l. 13. c. 56. §. 2. lit. T.* ubi: quod jus ob crimen possit Clericum titulo beneficii habiti, quod tanquam bonum commune pertinet ad dispensationem Ecclesiae, privare ipso facto absque alia declaratione. Confirmat hanc rationem ex mente horum Auctorum Azor. *loc. cit. q. 3. §. accedit.* ubi: quod beneficia sunt bona Ecclesiae data clericis sub hac conditione, ut à certis quibusdam delictis se contineant, alioqui beneficia amittant, & nullius valoris sint, quae circa ea dispoferint. Verum quod Canones privantes ipso jure ob delictum sint dicto modo leges conditionales, negant *ibidem* apud Azor adversarii, id solum admittentes eorum plures de canonibus privantibus ipso jure beneficio ob factum aliquid, quod omni culpa vacuum est, & ideo teneri beneficiatum ab iis privatum beneficium in conscientia illud dimittere, etiam ante sententiam. Quales leges conditionales privantes beneficio ipso jure sunt, dum beneficiatum ducit uxorem, fit religiosus, eligitur in Episcopum, & possessionem Episcopatus capit &c. Secundò: quod, si Canones seu Ecclesia in poenam obligare possit ad dimittenda mox à commisso delicto beneficia, quod ad hoc ipsum velit obligare in conscientia, satis significet per verba ista: *jure ipso, vel ipso facto.* Idque patet ex ipsa eorum vi, & significatione, & subjecta materia. Si enim lex per sola illa verba in poenam excommunicationis, suspensionis, & inhabilitatis censetur obligare ad illam poenam, seu ad habendum se pro tali v. g. excommunicato, inhabili, ante latam sententiam, non fit ratio, cur id non censetur per eadem illa verba velle quod ad dimissionem beneficiorum. Garc. n. 21. & 22. Tertiò: quod, si beneficium, quo quis ipso jure privatus est, possit nullà expectatà sententià, nec citato possessore, conferri & impetrari ab alio, ut Cardin. in *Clem. 1. n. 15. de poenis.* Felin. in *c. ceterum. de rescrip. n. 24.* Lamb. de *jurep. p. 1. l. 2. q. 6. n. 10.* Parisi. 1. 3. q. 1. n. 23. & 1. 11. q. 10. n. 10. & alii

alii plures apud Garc. n. 23. Item Card. de Luca de benef. d. 74. n. 4. Argumento Extray. ambitiosa. & confit. Sixti V. de habitu & consura &c. contra Lap. alleg. 78. ad 4. quest. teneat. requiri ad hoc sententiam declaratoriam privatio. hinc inquam sequi videtur, quod is, qui titulum e. s. amittit ante sententiam, teneatur & illud ante sententiam relinquere proviso de illo. Garc. d. 23. Unde etiam is ait n. 35. saltem tunc non admittendam sententiam contrariam de retinendo usque ad sententiam, ubi beneficium tanquam vacans per privationem ipso jure esset alteri collatum. Neque ex his inferitur, quod Clericus dimittendo beneficium suum cogatur prodere crimen suum; praterquam enim, quod plures discedentes aliquantum a rigore hujus sententia velint, non esse obligationem dimittendi beneficium ante sententiam, nisi ubi illud notorium esset; prater hoc, inquam, non semper eo ipso, quod quis beneficium deponit, se reum criminis declarat; praesertim cum diligenter curare possit, ut sibi denuo beneficium, quod factum tantum, non jure possideret, conferatur, & cum Papa vel Praefecto Camerae apostolicae convenire, ut liceat sibi beneficium retinere; mo. etiam fructus, vel certam eorum partem, & confirmare denuo resignationem, vel permutationem factam a die patratu criminis. Azor. l. ult. cit.

Questio 168. An, quando beneficiatus ob crimen est privatus beneficio ipso jure, valeant, qua ratione publici muneris & officii, quo fungitur, facit, v. g. dum qui crimen occultum admisit, ob quod ipso jure beneficium amittit, est parochus, & nihilominus absolvit penitentes; Canonicus, & eligit; Episcopus, & confert beneficia; an valide sint istae absolutiones, electiones, collationes?

Respondeo in omnium sententia ea valere. Azor. loc. cit. q. 4. Less. de justit. l. 2. c. 29. n. 64. & 67. Ratio istius ultimata est, quia nisi talia essent valida, sequeretur inde in rep. & populo Christiano perturbatio & incommoda maxima; omnes enim tales electiones, praesentationes, collationes, absolutiones, aliae sententiae a tali factae deberent rescindi tanquam invalidae. Ratio vero immediata & veluti a priori est, & quidem AA. prima sententia, quod licet jus illud prius, quo illam jurisdictionem obtinebant, nempe titulum beneficium amiserit, habeat tamen adhuc jus possidendi & utendi ea, donec per sententiam Judicis auferatur. Less. cit. n. 64. §. ex his sequitur: communis vero omnium quoad evitanda dicta incommoda, Ecclesia in hoc casu, nimirum quamdiu delictum occultum, vel certe quamdiu non constat, talem per legem esse privatum, etsi privavit titulo, in quo alias ea fundabatur, non tamen adimat jurisdictionem, vel potestatem illam eligendi, conferendi &c. Azor. loc. cit. vel potius, ut Less. loc. cit. n. 65. §. notandum. ex Abb. Cajet. jus ipsum conferat tunc jurisdictionem extraordinarie ad singulos actus propter bonum commune. Item quod error communis jus tribuat, & excuset, dummodo tamen beneficium tale alias legitime seu auctoritate Superioris obtentum: quemadmodum & jus civile l. Barbarius. ff. de offic. praetor. constituit, ut quidquid facit is, qui magistratus vel Judex communi populi errore censetur, cum revera non sit, pro rato & firmo habeatur, & ratione muneris & officii, quo fungi videtur, id

fecerit. Azor. loc. cit. vide de his pluribus Less. loc. cit. dub. 8. per totum.

Questio 169. In genere, quandoam sit locus privationi beneficii ob delictum?

1. Respondeo primo in genere: non esse locum huic privationi, seu non esse imponendam privationem beneficii, nisi in casibus in jure expressis. Garc. cit. c. 10. n. 20. citans plures. Gonz. gl. 15. n. 136. citans c. is qui de sent. excom. in 6. qui etiam n. 138. subjungit, quod, quamvis contrarium dicant alii, ut Selv. p. 3. q. 3. n. 2. & 3. Rebuff. in pr. rit. de mod. amitt. benef. n. 61. per text. c. satis provisum. dist. 56. id tamen intelligendum, si exprimitur a jure, alias non. Sic enim per latam sententiam super crimine non est quis privatus beneficio, nisi id fuerit expressum in sententia. Paris. l. 3. q. 16. n. 30. citans c. qualiter de accusar. Bald. in l. cum fratrem. c. quibus ut indignis. Rebuff. in pr. rit. de mod. amitt. benef. n. 64. ad dicens esse communem. Eadem ferè habet Tond. in qq. benef. p. 1. c. 27. n. 23. ubi quod, licet quis fuerit condemnatus ratione delicti, ex quo non venit privandus ipso jure, non carebit suo beneficio, nisi expressè in sententia poena privationis declarata fuerit; quia sententia est stricti juris; & nihil continet, nisi quod in ea exprimitur. Si verò agatur de crimine, in quo poena privationis ipso jure irrogatur, sequitur privatio ex sola sententia condemnationis delicti, quamvis in sententia nihil dictum de privatione; citat pro hoc Campanil. in divisione juris. rubric. c. 23. n. 121. Hinc nulla condemnatio; quamvis sit ad perpetuos carceres, se extendit ad privationem beneficii, nisi exprimitur. Tond. loc. cit. Gonz. loc. cit. n. 137. citans Felin. in c. inquisitionis. n. 7. de accus. Mandos. de monitoriis. q. 16. n. 1. At tamen Garc. n. 3. quod, quia non omnia crimina comprehenduntur certâ diffinitione, debet Judex in his quae similia sunt expressis, in quibus imponitur depositionis poena, eandem regulam sequi, quia de similibus ad similia procedendum est; citat pro hoc Abb. in c. as si Clerici. de judic. n. 34. Duaren. de benef. l. 8. c. 6. n. 6. qui tamen dicant, non debere Judicem attendere multum ad Canones antiquos; quia illi de facili imponebant poenam depositionis, hinc

2. Respondeo secundo: privationi huic locum non esse, nisi in magno crimine; Auctores immediate ante cit. Paris. l. 1. q. 15. n. 30. & l. 5. q. 6. n. 58. utroque loco dicens esse communem, & l. 3. q. 16. n. 2. citans pro hoc c. inventum. 16. q. 7. c. sua. de penis. & plurimos Auctores; si quidem privatio & amissio beneficii in materia beneficii dicitur importare poenam gravissimam, & ordinariam. Card. de Luca. de benef. d. 35. n. 10. seu dicitur poena major, quae in jure ordinaria dicitur assimilata poena mortis in temporalibus; cum sit mors civilis. Card. de Luca. de benef. d. 75. n. 4.

Questio 170. Quandoam locum habeat privatio beneficii ipso jure?

1. Respondeo primo: nullum crimen, etiam privatione dignum, inducit hanc poenam privationis ipso jure, nisi ita expressè sit in jure cautum. Pith. de concess. praeb. n. 26. Garc. cit. c. 10. n. 5. citans Felin. in c. 2. de rescrip. n. 3. Rebuff. de pacific. poss. n. 318. Coraf. de benef. p. 3. c. 6. n. 12. Suar. de relig. 11. 3. l. 4. c. 58. n. 4. Hojed. Henric. Mand. & plurimos alios. Verumque hoc est, etiam si crimen sit atroc. Lot.

Lott. l. 3. q. 18. n. 201. ubi: non omnibus delictis atrocibus (qualia reputantur omnia, quæ capitalia sunt; capitalia autem censentur, pro quibus à jure imposita est pena ultimi supplicii. Lott. *ibid.* n. 199. & 100. juxta l. 2. ff. de public. Judic. & Menoch. de arbit. casu 265. n. 3.) eadem est per SS. Canones & constitutiones apostolicas privationis pena ipso jure indicta, sed aliquibus duntaxat atrocioribus, prout vel sceleris immanitas, vel frequentior lapsus occasionem ita sentiendi legislatori dedit, ut inde nusquam præteri possit privatio ipso jure ex sola atrocitate, nisi concurrat specialis legis determinatio, quod est regula in omni materia & c.

2. Respondeo secundò: in dubio, dum verba privationis non sunt clara, nunquam præsumitur privatio ipso jure, sed tantum privatio per sententiam. Gonz. gl. 15. n. 153. citans Tiraq. in l. si unquam v. revertatur. à n. 168. (qui etiam n. 136. tradit 76. limitatione hujus regulæ) Gamb. de off. & pot. leg. l. 5. n. 163. Garc. cit. n. 5. citans pro hoc eisdem, quos pro prima responsione citarat. Lott. loc. cit. n. 203. Paris. l. 14. q. 2. n. 4. Pirh. loc. cit. Porro casus, in quibus intrat privatio beneficii ipso jure, uti & in quibus intrat privatio solum per sententiam, vide apud Gonz. gl. 15. *ferè per totum.* Azor. p. 2. l. 7. c. 18. 17. Lell. de justit. l. 2. c. 34. dub. 34. Tond. in qq. benef. p. 1. c. 27. & alios apud Garc. cit. c. 10. n. 6. de quibus in particulari infra.

Questio 171. Vacatio ipso jure per qua verba inducatur?

Respondeo: Illa verba *eo ipso* important privationem à lege ipso jure, & lata sententia absque alio ministerio. Gonz. gl. 56. n. 30. (quamvis autem ibi loquatur de privatione alternativæ, quam incurrit Episcopus; par tamen est ratio de privatione beneficii; cum ipse Gonz. gl. 15. de hac loquens huc remittat) citans pro hoc gl. in c. quam sit. v. *eo ipso.* de elect. in 6. & *ibid.* Franc. super S. ceterum. n. 4. Abb. in c. delictantes. de foro comper. nu. 8. Tiraq. in l. si unquam. c. de revoc. donat. v. revertatur. n. 142. & c. Item per verba *hoc ipso.* Gonz. n. 32. ex Tiraq. ubi antè. Item deficientibus verbis dictis *eo ipso*, vel *hoc ipso* per verba: *privatus existat*: Gonz. *ibid.* n. 33. citans gl. in c. extirpanda. de preb. v. *privatum.* & *ibid.* Host. & Innoc. & c. quia participium presentis temporis regulariter penam ipso jure inducit. Gonz. n. 34. citans Abb. in c. delictantes. num. 8. gl. in c. quoniam. v. *macrone percussum.* de off. Ordinar. Corneum. conf. 246. n. 1. l. 3. Tiraq. ubi antè. à nu. 32. vide eundem Gonz. gl. 15. n. 154. ubi remittit ad Felin. in c. Rodolphus. de rescrip. à n. 24. ubi de hoc plenissime.

Questio 172. Circa privationem beneficii per sententiam, qualiter ad hanc penam procedi possit?

Respondeo: Cum sit pena gravissima & ordinaria, ut dictum, hinc intrat criminalitarum propositio; quòd ad ordinariam penam procedi non potest, nisi contra legitime confessum vel convictum. C. Luca. de benef. d. 75. n. 4. qui tamen subdit *ibid.* nu. 8. quòd, licet de stricto jure, quoties agitur de privatione beneficii jam obtenti, requiratur plena & concludens probatio, & non sufficiat aliquem esse judicatum seu diffamatum; cum id solum attendatur circa inhabilitatem, vel post

positionem ad asssequendum. Veruntamen vehemens diffamatio, ob quam apud populum tale delictum habetur pro certo (ut contingit, quando adsunt indicia indubitata) facile operatur, ut iudices, præsertim magna tribunalia, non improbabili dilateant arbitrium, & rigorosos juris Cancellos transcendant, potissimum ubi agitur de delictis aded scandalosis (agit ibi de defloratione Monialis) sive ubi intrant alia motiva prudentialia. Similia habet d. 76. nu. 11. ubi, quòd ad consulendum delictis & scandalis, intret maxima: *Ordo est ordinem non servare*: ideoque exorbitans rigor adhibetur, in magis præsertim tribunalibus, tanquam in casu exemplari juris cancellos aliquantulum transcendendo.

Questio 173. Effectus seu executio sententia privationis beneficii ob delictum, dum ea alias à jure non intenditur ipso jure, an & qualiter suspendatur, vel non suspendatur?

1. **R**espondeo primò: ab hac sententia tanquam à sententia hominis datur appellatio; sive is ex suppositione criminis notorii puniat. Lott. l. 3. q. 18. n. 53. citans Felin. in c. Rodolphus. de rescrip. n. 37. sive simpliciter declaret factum, ex cujus suppositione lex ipso jure penam irrogat. Lott. n. 54. citans Abb. in c. pervenit. de appellat. n. 6. neque in hoc casu sustinetur appellatio à gravamine legis; cum lex perpetuò sit justa, & neminem gravet; sed tanquam à gravamine illato per judicem, qui potuit decipi circa factum. Lott. citans Alciat. in l. si qua pena, quocirca interposita provocacione, hoc casu suspenditur executio, donec in judicatum sententia transierit. Lott. num. 56. quòd ubi factum, dicitur sententia fortita suum effectum. Inter ceteros autem modos hunc effectum suspendendi præcipuus ferè est appellatio. Lott. num. 68. etiam temeraria juxta Bald. modò valida sit, id est, non peccet in forma, neque sit prohibita; qualiter in pluribus casibus ea prohibetur vel à lege, vel à rescripto Principis. Lott. à n. 69.

2. Respondeo secundò: In hoc casu prohibita appellacionis, hac non obstante, procedi potest ad executionem, modò tamen illud jure sit liquidum, & nullo modo turbidum; cessante enim, aut turbidà hac prohibitione appellacionis, teneat iudex deferre appellacioni. Lott. à nu. 74. & si is spretà appellacione nitatur exequi tanquam destitutus auctoritate, non intelligitur procedere ut iudex, sed ut privatus; cui proinde privatim & de facto resisti potest. Lott. n. 76. citans Felin. in c. si quando. de off. deleg. n. 2. Innoc. *ibid.* v. *resistere.* Lancellot. de arbitrat. appelland. ampliat. 20. n. 1. modò agatur de judicio irtractabili & irreparabili. Lott. n. 77. citans Felin. ubi antè. Bald. in l. ab executione. c. quorum appellat. non recip. Contra facultatem tamen istam resistendi de facto sufficit velamen justitiæ. Lott. nu. 78. citans Bart. in l. prohibitorium. c. de jure fisci. num. 6. neque admittitur illa resistencia de facto, nisi pro tuenda personà, non autem pro tuenda re vel possessione, ità ut in articulo immisionis in possessionem resistencia illa sit impertinens, & à jure reprobata. Lott. nu. 29. citans Bart. ubi antè. Porro quæ hic dicta de appellacione, quòd ea suspendat executionem, locum etiam habent in casu supplicationis aut recursus, ubicunque supplicatio vel recursus succedit loco appel-

appellationis. Lott. n. 80. citans Bero. *conf. 113. n. 8. vol. 3. Lancell. de attent. p. 2. c. 19. n. 33.* aliàs secus; regulariter enim prohibita non impeditur executio prætextu aut supplicationis, aut recursus aut revisionis. Lott. à n. 81. citans Lancell. ubi ante n. 19. & 16. Menoch. *de arbit. q. 70. n. 23.* sicut nec nullitatis, aut extraordinarii remedit restitutionis in integrum deductio executionem suspendit, ubicunque deducitur iudicatum ex tribus conformibus, aut ex duabus; ubi id statuto speciali indutum. Lott. à nu. 83. qualiter autem excipi possit à tribus vel duabus conformibus, & facultas sit dicendi de nullitate, vide eundem Lott. fusè à n. 94.

Quaestio 174. An, si Episcopus vel aliter iudex competens propter delictum non tantum atrox, sed grave, pro quo beneficiatus veniat deponendus, seu privandus, in eum ferat sententiam depositionis ad juris præscriptum, an illico vacet beneficium, & qua in ordine ad hunc effectum spectanda in dicta sententia verborum forma?

Respondeo ad primum affirmativè. Lott. d. 3. q. 33. n. 42. citans Abb. *in c. tua. de pen. nu. 3. & 4. Rebuff. in pr. tit. de mod. amit. benef. n. 61.* Neque obstat, quòd etiam in iis criminibus, pro quibus sic statutum, admittatur talis depositus, seu sententiatus ad correctionem, juxta idem *c. cum non ab homine*: nam id non implicat suspensionem executionis privationis beneficii; sed solum abnegationem potestatis laici iudicis, ne is contra illum tanquam rejectum à foro Ecclesiæ in suum forum, procedat; quæ rejectio non contingit aliter, quàm per actualem degradationem, juxta *cir. c. cum non ab homine. Lott. loc. cit. n. 44.*

2. Respondeo ad secundum: Nil refert sub qua forma concipiatur sententia illa; perinde enim est, sive fiat per verbum *privamus*, sive per verbum *deponimus*, sive per verbum *suspendimus in perpetuum*. Lott. *ibid. n. 43.* citans Butrio *in c. ac sclerius*.

Quaestio 175. Qualiter procedendum à iudice Ecclesiastico contra beneficiatum in eo condemnando pro delicto, pro quo depositionis poena à Canone non est iussa seu statuta, sed in ejus arbitrio posita?

Respondeo cum de puniendo delicto simpliciter agitur, beneficiato legitime convicto, concipienda est sententia (si id exigat qualitas criminis) super hoc articulo privationis, aut explicitè, aut implicitè pronuntiando super depositione, eò quòd, licet poena hæc imminet pro quocunque grandi delicto, ut Abb. Rebuff. & c. supra citati: Neque, ut ait Lott. l. 3. q. 33. nu. 48. est, qui illud in dubium revocet, ut de homicidio &c. non censetur tamen illata, quantumcunque etiam iusta sit inferri à jure per sententiã, si id in ea non expressum, juxta dicta paulò supra. Lott. *loc. cit. n. 50.* Felin. *in c. inquisitionis. de accusat. n. 7.* Rebuff. *in pr. tit. de modo amit. n. 64.* Lamb. *de jurep. p. 1. d. 2. q. 6. a. 9. nu. 1.* Zerol. *in pr. p. 1. v. privatio. §. 1.* Gutier. *qq. can. l. 2. c. 2. n. 29.* Paris. l. 3. q. 16. n. 29. & alii citati à Garc. p. 11. c. 3. n. 98. sic Rota *in Esventina. de anno 1543.* consuluit referente eodem Garc. n. 99. quòd condemnatus de homicidio, ex quo in sententia non erat posita, seu expressa privatio beneficiorum antea obtentorum, etiam post

talem sententiam non erat privatus jure sibi in illo beneficio ante condemnationem homicidii competenti. Neque ex l. 1. ff. *ad turpill. ubi: Si autem pronuntiaverit calumniatus, & condemnatus eum, & quamvis nihil de pena suljerit, tamen juris potestas adversus eum exercebitur, &c.* inferre licet contrarium, nempe quod in pœna infligenda per sententiam damnatus de crimine, de quo jure meretur privationem, eò ipso privatus sit beneficio, licet in sententia nihil exprimat: Nam id intelligendum, dum crimen tale, cui à lege ipso jure statuta talis expressè pœna, v. g. privationis; utpote in quo casu iudex non privat per sententiam, sed declarat delictum commissum, & sequitur mox poena privationis à jure, etiam si in hac sententia non exprimat talis poena incurta, juxta dicta supra ex Felin. *in c. Rodolph. de rescript. non autem quando lex non privat ipso jure, sed mandat privari, seu imponit poenam per sententiam, in quo casu ipse iudex privat, & licet factum notorium sit, semper opus est hac sententiã iudicis, quã irrogetur ab eo privato; ita ut si in hoc casu, vel etiam ubi condemnat simpliciter de crimine aliàs digno hac poenã privationis, in jure fortè non expressè iusta inferri hæc poena privationis; et si de ea in sententia mentio non fiat, mox sequatur, absque eo, quòd opus sit novã sententiã privationis, sive qua poena privationis expressè imponatur; quasi in executionem istius sententiã condemnatoriã simpliciter & generaliter lata super crimine, quòd ultimum voluit Innoc. *in c. postulasti. de foro competente.* apud Garc. *loc. cit. nu. 104.* Neque audiendus est hic Garc. dum n. 105. & 106. ait, videri posse conciliari has sententias dicendo; quòd dum iudex simpliciter tantum pronuntiaret absque ulla addita poenã super delicto digno privari, v. g. dicendos *condemno te de tali crimine: vel declaro te tale crimen admisisse;* sequatur seu inducatur dicta poena privationis; non verò sequatur ea, si de crimine digno privari, non tamen actu ipso inducente privationem, condemnet, aliquam poenam irrogando, absque eo, quòd de hac poena privationis mentionem faciat in sententia. Multò minus audiendus est, sed ab eo cavendum, ut ait Lott. *loc. cit. n. 58.* dum ex suo tradit in hoc postremo casu, dum nimirum iudex super tali delicto digno privari pronunciat, etiam imponendo aliam poenam, induci privationem, et si de eo mentio nulla facta in sententia; dum delictum est tale, quòd inducit irregularitatem, v. g. homicidium, eò quòd tunc, quia talis irregularis est inhabilis, non potest remanere cum beneficiis, privatio non tam sit in poenam, quàm ratione inhabilitatis: Nam, ut ait Lott. ex Molina. *de just. & jure. d. 78. nu. 2.* (quem aliàs pro se citat Garc.) irregularitas hujusmodi inducit quidem incapacitatem pro obtinendis in futurum beneficiis; non tamen pro retinendis obtentis; sed ad summum exigat talem privandum. Similiter neque obstat, quòd, cum ab hujusmodi gravioribus delictis separari nequit infamia, canonizato per sententiam delicto, satis inde colligatur mens juris, ne Superior Ecclesiasticus patiatur hujusmodi infamem beneficio Ecclesiastico potiri, sed ut, quemadmodum præveniens infamia eum ab illo obtinendo arceat, ita superveniens eundem ab obtento dejiciat. Lott. à n. 59. Nam hæc omnia procedunt non nisi ex supposito, si feratur in talem sententiam, per quam fiat hujusmodi remotio à beneficio, seu applicetur ei poena privationis; ita tamen*

men ut interim dum ea non applicatur, is licet beneficium retinet, & sic expectatur, quod renunciet, vel deponat, & sic tota vis in hoc articulo privationis attribuitur sententiae. Lott. à n. 64. citans pro hoc Innoc. in c. cum nostris, de concess. prebend. n. 1. Abb. ibidem n. 22. Bald. in l. 2. §. miles. n. 2. ff. de his, qui not. infam. Farinac. &c. Porro qualiter procedendum, dum agitur de incorrigibilitate, vide de hoc Lott. loc. cit. à n. 79.

Questio 176. An, & qualiter à iudice laico procedi possit, ad, vel circa penam hanc privationis: & si is in eo negotio processerit, qualiter se gerere debeat Episcopus?

Respondeo primò in genere: Nihil omnino in & circa hoc posse nec quoad cognitionem, nec quoad condemnationem, iudicem laicum; nam cognitio de quibuscunque delictis Clericorum ita competit magistratui Ecclesiastico, ut nihil profusus in ea sibi vendicare possit magistratus civilis seu secularis. Constat id ipsum non tantum ex SS. Canonibus, omnem hac in parte magistratui seculari potestatem negantibus, ut c. at si clerici, c. cum ab homine, de iudic. sed etiam ita receptum à catholicis scriptoribus, ut nequeat in dubium revocari, nisi negando aliquod principium fidei. Lott. l. 3. q. 33. n. 1. & 2. ex Suar. in *Clyp. fid. cathol.* l. 5. c. 15. nu. 1. Nec obstat constitutio Justiniani, quae est novella. 83. ubi insinuari videtur iure caesareo, sic quondam statutum, ut pro criminibus Ecclesiasticis; puta simoniâ, perjurio, sacrilegio adiretur Episcopus, pro aliis civilibus, v. g. homicidio, furto, cognitio ad saeculares pertineret; nam praeterquam quod ea constitutio, ut Suar. loc. cit. nu. 7. fuerit correctâ & revocata, per jura canonica, sed & per constitutionem Friderici in *auth. statuimus. c. de Episcopis & clericis*, quin & à principio nulla, utpote contra jus divinum, & constitutiones piorum principum praedecessorum Justiniani ad favorem Ecclesiae promulgatas, atque ita effectas irrevocabiles, ostendit Lott. à n. 5. non fuisse constitutionem universalem, sed privilegium, seu pragmaticam quandam editam per Justinianum ad petitionem menae Patriarchae Constantinopol. ne pro defectu iudicium Ecclesiasticorum non callentium jus civile crimina clericorum manerent impunita. Et sic Justinianum per hoc nihil egisse contra jus divinum, vel etiam statuta suorum praedecessorum; dum facultas ista in cognoscendo iudicium saecularium jam non profueret à Justiniano, nisi cooperante, sed & expostulante id Patriarchâ, adeoque nec in minimo per hoc labefacta potestas Ecclesiae, ut Suar. loc. cit. juxta c. 1. 2. 3. 4. &c. *causa II. q. I.* Lott. n. 6.

2. Quin nec respectu cuiusvis criminis ulla praerendi potest in contrarium consuetudo, utpote nullius momenti, & tanquam repugnans non tantum SS. Canonibus, sed & juri divino; quo clerici, veluti qui res sunt spiritualis, & ex toto corpus & animam dederunt in servitutem & sortem Christi, ut dicitur *cap. clericus, cum duobus sequentibus*. 12. q. 1. Eximuntur ab hac potestate saeculari, & solius Papae & constitutionum Ecclesiasticarum iudicio subsumunt. Lott. à nu. 9. Unde jam etiam talis consuetudo nullum ex quocunque tempore, aut Papae conniventia robur sumere potest; quod minus dicatur merus abusus, & censetur ab Ecclesia condemnata. Lott. n. 12. Sed & frustra praeten-

ditur immemorialitas; nam licet aliàs justificata immemoriali, allegari potest privilegium Apostolicum, nec dubitari potest, utcunque tandem hac clericorum praerogativa proficiatur ex divino praerogato, non criminali, aut iudiciali, quod sublatum videri posset, sed ex morali (quod, ut Card. in c. perpendimus, de sentent. excommunic. in 6. Felin. in c. 2. de major. & ibidem n. 2. juxta c. Si imperator, dist. 96. Papa in totum tollere nequit, ira ut leges humanae super hoc latae censeantur juris divini relatae, non autem novi alicujus juris inductivae, juxta Trid. sess. 24. c. 20. Lott. n. 15.) quin ea aliquatenus possit elidit ex privilegio Papae, ex causa iustissima concedentis alicui principi, ut de certis delictis clericorum, puta, majestatis, falsae monetae, vis publicae &c. (quae propterea sunt crimina privilegiata) per suos iudices cognoscat. Lott. à nu. 16. Difficultas tamen est in hac immemoriali justificanda; tum propter incapacitatem personae, in qua non potest initiari aliqua possessio, & consequenter aliqua praescriptio, juxta dicta alia. Lott. n. 17. tum propter defectum quadragenariae, quae basis & est fundamentum immemorialitatis; ut Lott. hic n. 18. & l. 1. q. 24. n. 226. hac enim propter naturam materiae subjecta probatu est impossibilis, ex quo singulis annis interruptitur per publicationem constitutionis Apostolicae, quae legitur in die cenae Domini. Lott. nu. 19. citans Felin. in c. cum non liceat, de praesumpt. n. 12. hinc jam

3. Respondeo secundò: Si tamen iudici laico quoad hoc datum indultum pontificium, & is ex eo (citra illud enim nihil agit, ut ex jam dictis constat, & insuper gravissimis subiacet poenis) per sententiam suam condemner clericum de crimine, pro quo de jure sit actualiter degradandus (idem videtur de depositione, seu privatione beneficii, quamvis Lott. n. 31. ex Barbof. in *collect. ad c. 1. §. ult. de homicidio in 6.* dicat, quod poena dispositionis à dignitate vel beneficio, qua in citato textu ipso jure imponitur clerico assassinio, nihil commune habeat cum degradatione actuali) adhuc nihil sit; quin implorari insuper pro actuali degradatione debeat Episcopus, & is ad eam devenire, cum laicus aliter in hoc casu habitus indulti Apostolici non intelligatur processisse vel iudicasse, quam uti delegatus Apostolicus & non suus, sed delegantis dicatur usus jurisdictione; ac ita timeri non possit laesio libertatis Ecclesiasticae. Lott. à nu. 20. citans Card. in c. perpendimus, de sentent. excom. n. 8. Felin. in c. 2. de major. & obediem. n. 3. Aufser. in *repet. c. 1. de offic. Ordinari. q. 4. n. 6. &c.*

4. Respondeo tertio: Debebit autem tunc Episcopus requisitus pro degradatione (idem est de privatione) expendere prius, qualiter se illud factum iudicis habuerit, nempe perfectio & examinatio processu, per quem sibi prius constat de privilegio seu indulto Apostolico, tanquam fundamento jurisdictionis in actis registrato (uti hoc hunc in finem praesentari processui necesse est) num tale revera existat, an duret, num excessum in ejus usu, tam circa validitatem, quam iustitiam. Lott. à n. 23. ex Carolo de Grassis, de effect. clerico. effect. 1. nu. 34. &c. si his minime aut leviter solum perpenis iudex Ecclesiasticus procederet ad degradationem, utique graviter erraret: nam

5. Respondeo quarto: Praescindendo à tali privilegio, cum processus per iudicem laicum confectus sit omnino nullus, quantumcunque exhibeatur, non potest in eo confingi aliqua justificatio deli-

delicti; super qua valeat iudex Ecclesiasticus suum iudicium firmare juxta expressum textum *c. ut si clerici*. Lott. n. 26. Idque etiam si supponeretur clericum fuisse deprehensum in flagranti crimine-juxta *c. cum non ab homine. de judic.* Lott. nu. 27. Quamvis enim illa deprehensio excuset iudicem, quod minus, si deprehensum detineat, incurrat censuras, juxta *c. nuper. de sentent. excom.* Lott. n. 28. nihil tamen tribuit laico potestatis, utpote cujus jurisdictio in delicta clericorum non est prorogabilis; etiam in eo, quod clericus ipse in eam consentiat, aut neget se clericum, vel profiteatur etiam se laicum, Lott. n. 29. citans Bald. in *c. si qua per calumniam. c. de Episcopis & cleric.* n. 5. Pacian. de probat. p. 2. c. 34. n. 74. Jo. Andr. in *c. si iudex laicum. de sentent. excomm.* in 6. in principio.

Quaestio 177. An, & qualiter privationem hanc infligere valeat Vicarius?

Respondeo: Vicarium generalem Episcopi non posse absque speciali mandato Episcopi procedere ad hanc poenam privationis infligendam. *c. Luca. de benef. d. 11. n. 4.*

Quaestio 178. An inducatur vacatio beneficii per sententiam privationis nullam, & qualiter procedat exceptio nullitatis, & notoria injustitiae?

Respondeo ad primum negativè: Paris. l. 1. q. 7. n. 72. quia, quod nullum est, nullum praebet impedimentum. *c. illud. de jurepar.*

2. Respondeo ad secundum primò: eum, qui renunciavit appellacioni, non censi hoc ipso renunciavisse facultati dicendi de nullitate. Lott. l. 3. q. 18. n. 94. ex Bald. in l. unico. *c. ne una eademque causa provocare lit. §. ult. n. 9.*

3. Secundo: deductio nullitatis non suspendit executionem, ubicunque deducitur iudicatum ex tribus conformibus, juxta *Clem. ut calumniis. de re judicata.* Lott. l. 3. q. 18. n. 83. Et sic, dum in hoc casu trium conformium rescribitur super causa gravaminis vel nullitatis, vel restitutionis in integrum, non rescribitur aliter, quam cum clausula: *parito iudicato*: cujus vis adaequata est dictae *Clem.* ut nimirum non audiatur sententiam passus, donec perfectè sit paritum iudicatum; si enim rescriptum conceptum dicitur conditionale, ita ut illi, cui rescribitur, non acquiratur jurisdictio, nisi purificatà hac conditione, seu *parito iudicato*. Lott. n. 127. citans Socin. senior. *conf. 99. n. 10 l. 3. Put. decis. 419 per tot. l. 1.* Neque solet hac clausula omitti, etiam si processum fuerit per contradicatas, nisi in continenti possit doceri ex iisdem actis de nullitate. Lott. n. 128. juxta *decis. Rotæ. 256. n. 1. apud Veral.* contra Staphil. *de lit. just. §. quando petitur commissio n. 10.* Importatque dicta clausula necessitatem restitutionis fructuum, & solvendi expensas. Lott. n. 130. quem vide. Unde jam, cum excipitur de tribus conformibus ad effectum promovendi calumniam in adhuc provocante, aut dicente de nullitate, vel etiam implorante extraordinarium remedium restitutionis in integrum, hoc unum solum disquiritur: nempe, an existat verè tres conformes. Lott. n. 104. Hanc autem conformitatem metimur ab identitate subjecti, super quo pronunciatum est, ut *Gl. in cit. Clem. V. tres.* Lott. cit. n. 104. Quamvis circa id ipsum sententia

fiat dividua, veluti, si non convenient in articulo condemnationis ad expensas, ita ut tunc in ea parte, in qua sunt difformes, excludatur, vel suspendatur iudicatum, ut *Cravetta conf. 163. n. 4. Menoch. conf. 145. Lott. n. 105.* In altera verò parte sustineri possit conformitas ad effectum dictae *Clem.* & sint exequibiles, ut *Gloss. cit. v. aliquid ex iis. Cravetta conf. 183. n. 2. Covar. 99. prac. c. 25. n. 6. Surd. conf. 27. n. 11. Lott. n. 106.* Neque pro constituenda hac conformitate ita adhaerendum verbis, ut non magis attendatur convenientia sententiarum in substantialibus. Lott. n. 107. citans Socin. jun. *conf. 73. n. 1. & 2. l. 2. thesauri,* & aliquor Rotæ decisiones. Proceditur dicta *Clem.* etiam in tribus conformibus, una difformi seu contrariâ sententiâ interpolatis; Neque enim requiritur ut dictae tres conformes immediate nullâ intermedia contrariâ sibi succedant. Lott. n. 108. citans Covar. ubi ante n. 3.

4. Nihilominus elideretur in excipiente de nullitate post tres conformes dicta praesumptio calumniae, & consequenter suspenderetur executio, si proponeretur nullitas ex jurisdictionis defectu. Lott. n. 109. citans *Gig. de pensio. q. ult. n. 20. Covar. ubi ante n. 4. Barbat. conf. 44. nu. 1. Menoch. conf. 345.* modò manifestus sit hic defectus; alias enim non amitteretur ejus deductio, nisi post executionem confirmatam. Lott. n. 110. Estque id ipsum speciale in hac nullitate proveniente ex defectu hujus jurisdictionis nullatenus trahendum ad alias nullitates. Lott. n. 111. & 112. juxta *Gl. in cit. Clem. V. non obstante;* ratio hujus singularitatis est, quod hujus nullitatis exceptio potius concernat publicam, quam privatam utilitatem. Lott. n. 113. ex Anchar. in *cit. Clem. n. 7.* quae ideo etiam non cadit sub dispositione rejicente nullitates in genere. Lott. n. 114. citans Vant. *de nullitat. ex defectu jurisdictionis. n. 3. & 4. Gutrier. in pract. 99. civil. l. 1. q. 96. n. 8. Menoch. conf. 2. n. 152.* Nec venit sub commissione sanatoria, quae nullo modo pro ea datur. Lott. cit. n. 14. citans Staphil. *de lit. just. sect. commissio an detur super validitate processu.* Sarnen. in *compendio utriusque sign. n. 74.* Facilius autem rejicitur nullitas, si quae objiceretur non contra posteriorem sententiam, sed contra priorem confirmatam, parte non opponente, per duas sequentes. Lott. n. 116. citans *Alex. conf. 111. nu. 5. vol. 5. Felin. in c. eam quae de sent. & re judic. nu. 2.* Idque etiam si proponatur seu objiciatur nullitas ex defectu jurisdictionis. Lott. n. 117. Dum autem quaeritur de facto, an sit oppositum, non sufficit oppositio facta in genere ex clausula nullitatis; sed necessarium est, ut clausula hac fuerit ad speciem deducta. Lott. n. 118. De cetero tamen admitteretur exceptio nullitatis cujuscunque, modò resultaret in actis, si executio esset irretractabilis. Lott. n. 119. citans *Paul. de Eleazar. & Anchar. in cit. Clem. calumniis. Guidon. Papam. decis. 579. n. 4.*

5. Pari quoque modo admitteretur exceptio notoriae injustitiae; licet enim hac diversum quid sit à nullitate, etiam si resultaret ex iisdem actis, nisi sententia se referat ad ipsa acta; illi tamen ad hunc effectum impediendi executionem equiparatur. Lott. n. 120. & 122. modò tamen ea verè sit notoria: sententia enim, cum praesumatur ritè & rectè lata, adeoque justa, prout de jure fieri debuit; ut *Gl. in authen. generaliter. v. injustè. de Episcopis & cleric.* Menoch. *conf. 110. n. 6. cum communi;*

is, qui se fundat super hujusmodi iudicatio, non debet probare iustitiam, sed qui excipit, debet demonstrare hanc notorietatem iniustitiae, ita ut non possit ne quidem subtiliter disputando vitium obfuscare, sive referatur ad iniustitiam, sive ad nullitatem. Lott. à n. 122. Et hæc quidem cum toto rigore cit. Clement. ubicunque existant tres conformes; de cætero

6. Respondeo ad secundum tertio: Dum deducitur iudicatum ex duabus tantum conformibus, aliquantò mirius proceditur; nam licet præservetur executio, non tamen rescribitur cum dicta clausula: *parito iudicato*, suspensiva jurisdictionis; de qua sub initium responsionis præcedentis. Lott. à n. 132. Multòque minùs id fit, dum in hoc casu duarum conformium imploratur remedium extraordinarium; de quo *quest. seq.* Et videtur idem in hoc casu dicendum de exceptione nullitatis, quod de petita restitutione in integrum in hoc casu dicitur *quest. seq.* Licet autem Lott. n. 84. dicat, idem esse in hoc casu duarum conformium, ubi ex statuto vel jure speciali hoc inductum, ut nimirum duæ illa habeant vim trium, adeoque & in hoc casu militet dispositio cit. Clement. nimirum quòd nec agi, nec excipi possit de nullitate, nisi prius facta executione. Lott. n. 84. juncto n. 88. & seq. Subdit tamen idem Lott. n. 92. non satis videri perceptibile, qualiter in duabus tantum conformibus militet dicta dispositio, cum tanta, adeoque urgens suspicio calumnie non sit contra excipientem de nullitate, qui unà vel altera sententiâ succumbit, quam qui tribus conformibus; neque ut Lott. n. 102. in diluenda hac præsumptione par sit ratio, dum in casu trium conformium hæc præsumptio calumnie est juris & de jure (in cit. enim Clement. hoc supponitur, & super supposito disponitur) in secundo verò casu duarum conformium est simplex præsumptio juris, proindeque illa prior præsumptio vix manifestatà veritate in contrarium, credibilis est; posterior verò contraria probationi cedit, ut Menoch. de præsumpt. l. 1. q. 3. Lott. n. 103.

Questio 179. An, & qualiter privatus ob delictum restituendus sit, juxtaque possit remedium restitutionis in integrum?

1. Respondeo primò: Privatus ipso jure ob delictum ipso jure non est restituendus in hoc sensu, quòd ei spoliato aliunde non competat actio spoliæ, nec debeat restitui ad beneficium. Paris. l. 13. q. 5. n. 138. Quippe communis est sententia, quòd is, qui possidere amplius nequit beneficium, non secus ac ei, qui possidere non potuit, v. g. laico, danda non sit ad illud restitutio; cum clarè & notoriè constet de jure non potentis, & frustra tractatur de possessione illius, qui possidere non potuit, aut amplius non potest; Paris. ibidem n. 123. citans pro hoc plures, & id pluribus exemplificans, à n. 125. ut in intruso, in simonaco, hæretico, &c. ac demum subjungens n. 137. id procedere, seu spoliatum non esse restituendum ad beneficium, ubi constat notoriè de defectu proprietatis, pro quo citat Craver. cons. 790. n. 8. Menoch. de remed. recip. possess. remedio 5. n. 438. Mascard. de probation. conclus. 326. Econtra, ubi spoliatus non est ipso jure privatus ob delictum, potest restitui; sive crimina, quæ non privant ipso jure, non impediunt restitutionem. Paris. loc. cit. n. 40. citans Abb. in c. item cum. de restit. spol. n. 3.

P. Lott. Fori Benef. Tom. 1. l. 1.

2. Respondeo secundò: Juste privatus ob delictum, si postea restituatur, porrigitur hæc restitutio ad beneficium, ubi beneficium interim alteri collatum non est; aliàs secus, quia hæc restitutio est gratiosa, inter quam & restitutionem iustitiae est maxima differentia. Paris. l. 3. q. 7. n. 42. citans Bald. in c. constitutus. de rescript. Gemin. in c. quamvis. eodem tit. Abb. in c. ex tua. de cleric. non resident.

3. Respondeo tertio: privatus iniuste (intellige, quia delictum non merebatur tantam poenam, vel hæc inflicta contra juris præscriptum; aut etiam penitus innocenti) debetur restitutio in integrum; hoc est ad beneficium & omnia, quæ prius tanquam annexa ad beneficium habebat; puta ad stallum in choro, ad præbendam, dum canonicus est, ad jurisdictionem, si quæ beneficio annexa; Et hæc, etiamsi beneficium jam collarum alteri, quia hæc est restitutio iustitiae, in qua valet communis regula, tantum restitutio in integrum restituit, quantum læsio abstulit. l. ult. ff. de restitut. in integ. & restitutio in integrum iustitiae aufert jus alteri quæsitum, etiam plene & perfecte; Paris. loc. cit. n. 46. citans Paul. de Castro. ad l. gallus ff. de liber. & posthum. n. 14. Et hæc juxta ea, quæ tradit Paris. cit. q. 7. à n. 43. & 75. de restitutione in integrum minoris resignantis graviter in hac resignatione læsi.

4. Respondeo quarto: Imploratio restitutionis in integrum non suspendit executionem, dum iudicatum deducitur ex tribus conformibus, sed intrat dispositio cit. Clem. ut calumniis. & solet rescribi cum clausula *parito iudicato*, secundum dicta paulò ante de exceptione nullitatis. Lott. l. 3. q. 18. n. 83. 127. 133. ubi verò non sunt tres conformes (etiamsi aliàs ex statuto, vel alio jure singulari simpliciter esset remota seu prohibita appellatio, vel etiam facultas dicendi de nullitate, quia ista sunt remedia diversa, quibus subvenitur victo; sublato autem uno non censetur sublatum aliud, Lott. loc. cit. n. 134. citans Imol. in cit. Clem. n. 7. Oldr. de restitut. in integrum. q. 75. nu. 31.) suspenditur executio, & non rescribitur cum dicta clausula: *parito iudicato*; ubi fuit præventum in petenda restitutione in integrum (idque etiam causa restitutionis sit turbida. Lott. nu. 136. Gabr. de execut. rei iudicat. conclus. 1. n. 17. &c.) secus, si præventum in exequendo; tunc enim præservatur executio, & rescribitur cum dicta clausula. Lott. n. 135. dicens, sic observari in signatura. Ut autem dicatur in hac petitione restitutionis præventum, sufficit eam petitam esse. Lott. n. 137. citans Oldr. ubi ante. q. 42. n. 1. sicut econtra, ut dicatur præventum in executione, sufficit eam esse petitam, Lott. n. 138. citans Casar. de Grassis. decis. 20. n. 14. post decis. 277. l. 2. Et cum hoc tamen discrimine, ut in petenda executione non sufficiat simplex petitio; sed requiratur illius admissio per decretum iudicis; etiamsi non fuerit deventum ad eisdem decreti executionem per actum extrinsecum, id est, per relationem executorialium; exinde enim, ubi nimirum iudex decrevit executionem, dicitur inchoata executio, ut prætextu restitutionis non possit illius cursus deinceps impediri. Lott. n. 139. & 140. citans aliquot Rota decisiones. Econtra in petenda restitutione, ut dicatur præventum, sufficit simplex petitio ipsius victi, per solennem tamen libellum coram eodem iudice, qui sententiam tulit; etiam si

etiam si sit delegatus: quamvis enim delegatus non possit restituere, ut Oldr. loc. cit. q. 32. à n. 139. tum tamen libellus implicat emissionem ad principem aut alium Superiorem, qui potest restituere; satis dicitur hic præventum in petendo; cum id sufficiat pro introductione causæ juxta Oldr. loc. cit. n. 142. Abb. in c. 2. de offic. delegat. n. 3. Lott. n. 141. & 142. De cetero, ubi ageretur de restitutione ad effectum impediendi executionem obligationis cameralis; cum hæc aequipollet tribus conformibus, intrat pro reiectione causæ, restitutionis dispositio. *cit. Clem. &c.* si in vim illius decernatur executio, necessarid consequitur, inchoatam esse executionem, & sic sustineri potest, per præventionem in petenda restitutione in integrum non impeditur executionem obligationis cameralis. Lott. n. 144. Porro si quando signatura rescribat cum supradicta clausula: *parito iudicato*, vel alia præservativa executionis, sed modificata arbitrio Rotæ, modificatio hæc operetur, ut vitæ possit audiri in deducenda nullitate vel injustitia, & tantisper, ut audiatur, suspenditur executio; cum eadem æquitatis ratio emolliens rigorem juris in apertendo audientiam contra judicatum suadeat, & sic inhiberi executionem judicati. Lott. n. 146. & 147. Si tamen nihil doceat, unde efformetur læsio (quæ est fundamentum restitutionis) illic contra victum emergit præsumptio calumniæ. Lott. à n. 148. dicens, in hoc fundari stylum palatii, ne pronuncietur in articulo restitutionis expressè, sed tacitè; nempe si constet de causis restitutionis, aut ex injustitia, aut ex nullitate sententia revocetur, perinde, ac si appellatum esset; aut dictum de nullitate; sin secus, procedatur per eundem judicem, cui commissa est causæ restitutionis. Atque ita, dum Papa mandat cognosci, non perimit iudicatum aut actionem, quæ ex eo descendit; sed simpliciter suspendit effectum; adeoque non derogat regulæ de jure quæsito non tollendo. Sicut autem iudex competens læsione, revocat sententiam, & non est locus dictæ regulæ, eò quòd tunc non potest videri iudicatum; sic, si advertit cessare hanc læsionem, ne videatur præjudicatum juri quæsito ex iudicato, illud simpliciter exequitur. Lott. à n. 151. Denique commissæ restitutione lis perpetud redintegratur, reponiturque in eo statu, in quo erat ante iudicatum. *l. i. c. de restitut. in integ.* Lott. à n. 154.

Neque enim is, cui non est limitatum arbitrium, præcipue si magistratus supremus est, censetur magis constitutus executor iudicati, quàm cognitor; & sic in supremis tribunalibus magis spectatur æquitas in suspendenda executione, quàm rigor juris in exequendo iudicatum in aliis tribunalibus, ubicunque detegitur injustitia. Lott. à n. 155. subjungens, sic servare Rotam, dum sententias extra eam latis non exequitur, nisi excusata earum iustitia; passimque eas qualescunque revocat, detestata injustitia, sive ea nota sit, sive non. Et meritò, ut idem subiungit n. 159. quia læsio excludit præsumptionem calumniæ; hac autem præsumptione remota nihil est, quin debeat suspendi executio iudicati, juxta *L. unicam. c. de in integrum restitut.* ne quid novi fiat; est enim restitutio actus suspensivus.

Quæstio 180. Qualiter resolvatur vis omnis iudicati quoad præsentem materiam privationis beneficii?

1. Respondeo resolvi vim omnem iudicati, primo, dum sententia lata fuit in contumaciam pro aliquo delicto, comparente nimirum reo infra annum, & docente de sua contumacia; Lott. l. 3. q. 18. n. 163. citans Farinac. *conf. 14. n. 6. juxta textum l. 1. §. ult. ff. requirend. res.* sententia enim hujusmodi, cum magis videatur lata propter contumaciam, quàm ob delictum, hac contumaciâ purgatâ, evanescit omnis sententiæ effectus. Lott. n. 165. citans Felin. *in c. ex literis. de constitut. n. 19.* Alciat. *de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 22.* Farinac. *criminal. qq. q. 11. n. 90. &c.* Si verò patiatu annuum elabi, etiam si admittatur ad novas defensiones, non admittitur tamen, nisi cum clausula: *sine præjudicio bonorum sisco incorporatorum.* Lott. n. 164. dicens hanc clausulam trahi etiam ad beneficia Ecclesiastica, quæ eo ipso dicuntur incorporata, quòd sint alteri collata, ut Farinac. *loc. cit. n. 7.* Et licet post annum purgetur contumacia ex principis rescripto, non tamen tunc intrat eadem ratio; quia ea non datur in præjudicium juris quæsiti, nempe illius, cui provisum de tali beneficio; tamen enim neque in isto casu sententia contumacialis probet delictum, probat tamen factam privationem, quod sufficit pro probatione gratiæ alteri factæ de illo beneficio. Lott. à n. 166.

2. Secundo resolvitur vis omnis iudicati, dum princeps ipsi restituit condemnatum plenariè; nihil enim est, quin Papa, in cuius potestate absoluta sunt omnia beneficia, ita possit restituere, etsi hac potestate utatur parcius; utitur autem ob majus bonum, resolvendo effectum privationis præcedentis usque ab illius principio, etiam respectu possessionis. Lott. n. 170.

Quæstio 181. Quæ sit vis & diversitas sententiæ condemnatorie & absolutoria in hac materia beneficii?

Respondeo in hoc, quòd condemnatoria (sub quo termino venit adjudicatoria & canonizatoria sententia) quòd illa tribuat jus victori; adjudicat enim beneficium, & jus in eo canonizat. Ac proinde exigit discussionem tituli, & justificationem omnium habitatum, ne detur vitiosus ingressus in beneficium, ut Mandos. *ad reg. 18. cancellaria. q. 3. n. 3.* Absolutoria verò simpliciter detur possessori vel reo ex non jure actoris, etiam excluso per jus tertii juxta Veralt. *de off. 133. n. 1. & 2. p. 3.* Lott. *cit. q. 18. n. 172. & 173.* Proinde pro obtinenda absolutoria opus non est, reum præmittere ullam probationem (onus enim probandi ad actorem, non ad reum spectat) nec intelligitur jus aliquod tribuere (intellige affirmativè per applicationem ad personam rei seu possessoris; respectu autem actoris, contra quem fertur, per negativam illi positivè detrahit apparentiam, si quam habuit, juris considerabilis) nam sive feratur adjudicatoria, sive simplex absolutoria, semper pronunciatu victo jus nullum competere. Lott. à n. 174. dum enim est adjudicatoria, id suggerit natura subjectæ materiæ; cum beneficium non admittat duos titulares; dum est absolutoria, id suggerit status causæ, cum ideo feratur sententia contra petitorem, quia

quia non constat de iure aliquo ipsius; atque ita actori imponitur perpetuum silentium, cum condemnatione in expensis. Lott. à n. 177. Sed neque impeditur huiusmodi absolutoria in petitorio ex possessorio non suspensa; ut Casar de Grass. *decij.* 103. *de re iudic. n. 1.* multo que minus ex mente actoris colligantis, modò pramittatur citatio generalis contra sua interesse putantes. juxta Rotæ *decis.* 872. l. 3. p. 3. *divers.* Neque ex censurarum vinculo; & licet id constitutum sit ad favorem rei, idem tamen servatur favore actoris, si is possideat. Lott. à n. 180.

Questio 182. A quo, & quibus conferri possint beneficia vacantia per privationem?

1. **R**espondeo ad primum: quantum præcisè ex hoc est, quòd vacent per privationem, nisi aliunde specialis aliqua ad sit hic & nunc reservatio, conferri possunt, sicuti & aliter vacantia. Nimirum reservantur per regulam mensium, si vacent in mensibus apostolicis, relinquuntur Ordinario, si vacent in mensibus Ordinarii, Gonz. *gl. 15. n. 156.* citans Nav. *conf. 18. de prabend. n. 3. & per totum.*

2. Respondeo ad secundum: dum beneficium vacat ipso iure, vel per sententiam (sive ex dicta privatione ob delictum, sive ob aliam causam) non possunt provideri de eo, nec à Sede Apostolica, nec ab Ordinariis, nec ab alio quocunque collatore illi, qui fuerunt iudices civiles vel criminales, dictarum causarum; sive sint Cardinales, vel Rotæ Auditores, aut Referendarii, Patriarchæ, Archi-Episcopi, vel quivis alius similis, aut dissimilis iudex. Neque etiam dictorum iudicum nepotes, consanguinei seu affines, sollicitatores, procuratores, domestici familiares, cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis fuerint, cum decreto irritante, ut sanctissime constitutum fuit, ad obviandum fraudibus, & iniuriis, ac delinquentibus occasionebus in privando aliquem innocentem, vel esse privatum declarando; ut aliquis ex præfatis personis de tali beneficio provideatur per Bullam Pii IV. qua incipit: *cupientes* Gonz. *loc. cit. n. 157.* eandem Bullam ad fufum recitans n. 158.

PARAGRAPHVS II.

De vacatione ex privatione ob delicta omissionis, &c.

Questio 183. An, & qualiter vacent beneficia ob non factam publicationem resignationis?

Respondeo de hoc agendum infra, ubi de publicationis resignationis: vide tantisper Lott. l. 3. q. 21.

Questio 184. An, & qualiter vacet beneficium curatum ob non servatam in eius collatione formam constitutionis Pii quinti, qua incipit: In conferendis. sub data 15. Kal. April. Anno 1566. & est in Bullario 82. inter constitutiones hujus Pontificis?

Respondeo: vacare ipso iure, asserunt Barb. juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 37. Chok. *ad reg. 8. cancel. n. 18. vers. 31.* Gonz. *gl. 15. n. 88.* verum tamen non tam de novo vacare ipso iure exinde talia beneficia, quam tales eorum collationes, in quibus dicta for-

ma non servata, nullas esse, & ea pèrgere vacare antè, satis demonstrant dicta constitutionis verba, qua lege apud eundem Gonz. *gl. 6. n. 125.* & Quarant. *in sum. Bullarii, v. beneficium parochiale. collat. 4.*

Questio 185. An, & qualiter vacet beneficium ob non promotionem infra annum?

1. **R**espondeo privari & vacare ipso iure. Azor. p. 2. l. 7. c. 16. q. 11. Gonz. *gl. 15. n. 47.* Vide fuscè de hoc dicta *in tr. de elect.* Porro tradit Less. *de just. l. 2. c. 34. dub. 29. n. 101.* pœnam hanc privationis beneficii incurri ipso iure, ita ut ex communit sententia ante ullam sententiam declaratoriam teneatur talis se spoliare beneficio; eò quod licet pœnæ regulariter non obligent ad sui executionem ante sententiam, saltem declaratoriam criminis, hæc tamen privatio non tam sit pœna, quam defectus conditionis requisitæ à lege, ut collatio firma perseveret; ac proinde, deficiente hac conditione, rescindatur, & resolvatur collatio à principio valida, lege sic disponente. Quam sententiam quamvis Caltrop. *de benef. d. 6. p. 8. n. 6.* dicat se approbare quia communis est, ait tamen *ibidem* contrariam; pro qua citat Zerol. *in pr. p. 1. v. beneficium, §. 4.* non levi niti fundamento; adeòque probabile esse non obligari aliquem ob neglectam illam promotionem cedere beneficio, quovisque per sententiam obligetur; eò quod hæc privatio revera sit propria pœna, ut pro certo tenet Duar. *l. 5. de l. c. 5. n. 8. & c. 2. n. 10.* tum quia irrogatur ob delictum neglectorum ordinum; tum quia privat iure quæsito in beneficio, quod jus independens est à susceptione ordinum, ne aliàs teneretur non suscipiens ordinis restituere omnes fructus illo anno perceptos; quod est contra communiorem. Sed neque hæc obligatio deducti possit ex *c. licet canon. de elect. in 6.* dum ibi dicitur: *Quod si infra annum promotus non fuerit, Ecclesiâ sibi commissâ, nullâ etiam præmissâ monitione, sit præsentis auctoritate canonis privatus:* cum, ut Garca *p. 11. c. ult. n. 30.* ista verba: *nullâ præmissâ monitione,* referenda sint ad promotionem, non ad privationem, ita ut sensus sit, si promotus non sit intra annum, etiam nullâ præmissâ monitione, Ecclesiâ commissâ sit privatus. Adde, quòd & aliàs dici possit idem de privato ipso iure ob alia crimina, puta heresis, simonia, beneficium concedi sub illa coaditione, ne illa delicta committantur; illis verò commissis, beneficii collationem annullari, quod est contra communiorem.

2. Quòd minus verò incurrat hæc privatio, facit legitimum impedimentum, v. g. infirmitas vel absentia Episcopi (in quo tamen casu, si Episcopus det licentiam, ut ab alio Episcopo promoveri possit, te fore in culpa, si non promovearis.) Item quoties ex parte Episcopi provenit impedimentum, debere te ad vitandas lites protestari, te paratum esse ad suscipiendos ordines, ait Caltrop. *loc. cit. n. 9.* Item si ob irregularitatem, vel aliud impedimentum canonicum, cujus dispensationem tentatam obtinere nequis, non promovearis, etiam si talis irregularitas tuâ culpâ contracta, modò eâ intentione contracta non sit, ut ab Ordinibus suscipiendis impediaris; quia posita irregularitate jam es legitime impeditus, neque per te ipsum stat, quò minus promovearis; quòd verò culpam commissis in contrahenda irregularitate, est per accidens, cum non contigerit ex intentione ea, ut ab Ordinibus impediaris; aliàs enim etiam privandus es esse beneficium, si ob infirmitatem tuâ culpâ contractam

impe-

impediatis ab Ordinibus, Castrop. loc. cit. n. 19, citans Garc. p. 3. c. 4. n. 6. Rebuff. in pr. tit. de non promotis intra annum. n. 80. l. 1. de just. l. 2. c. 34. n. 100. contra gl. in cit. acum licet canon; Azor. p. 2. l. 7. c. 16. q. 11. Diaz. pract. p. 5. c. 53. n. 3. apud eundem Castrop. censentes contrarium, ubi impedimentum canonicum tuã culpã contractum, item, quod ex dictis sequitur, si ob illiteraturam rejiciaris ab Episcopo ab Ordinibus, esto, in discendis literis negligens fueris; quia non ob negligentiam hanc, sed ob negligentiam immediatam suscipiendi Ordinis, privandus quis est beneficio. Castrop. loc. cit. n. 11, citans Garc. ubi autẽ, testantem sic respondisse S. Congregationem. Ac denique evitabitur dicta privatio, si tunc dispensatum quod ad obligationem suscipiendi intra annum; cessat enim tunc culpa, quam supponit ista privatio; c. commissã, de elect. in 6. Castrop. loc. cit. n. 7. hanc autem dispensationem solum Papa concedere potest, & ex ejus commissione Episcopus in unico casu; nempe ob studium ad septennium, & septennio completo intra annum sacerdos; Cast. op. loc. cit. n. 8. meritò dubitans, num hæc potestas subtracta Episcopis per Trident. quod se fusè disputabile ait, tr. 7. d. 3. p. 9. §. 9. n. 8. & 9.

Quaestio 186. An, & qualiter vacent beneficia ob non residentiam?

Respondeo: de hoc quoque satis dictum aliàs, ubi de residentia parochorum, vide lott. l. 3. q. 27. per tot. & Hurtad. integ. lib.

Quaestio 187. An, & qualiter vacet beneficium ob non gestationem habitus clericali?

Respondeo: quidquid de hoc fuerit olim (dum jure communi non vacabat beneficium per delationem publicam, & continuatam habitus vel vestium laicalium, sed tales, postquam moniti non cessassent, suspendebantur dumtaxat ad certum tempus, vi Clem. II. de vita & honestate clericorum. & Trid. sess. 14. c. 6. Gonz. gl. 15. n. 55. citans Bern. Diaz. in praxi criminali. c. 75. per tot. Castrop. l. paulò post citand.) hodie tamen secus est; quia per constitutionem Sixti quinti incipientem: cum sacerdotiam sub dato 5. Idus Januar. 1588. jubentur clerici beneficia quæcunque habentes etiam, alii clericali titulo pensiones super quibuscunque bonis Ecclesiasticis obtinentes gestare clericalem tonsuram, & habitum clericalem, & milites pensionibus, vel fructibus, vel aliis bonis Ecclesiasticis gaudentes, incidere in militari habitu regulari, sive militiae approbatæ convenienti; alioquin omni beneficio, pensione, vel jure, quod habent ad beneficia, privantur; & sine omni monitione, citatione, judicis decreto aut ministerio, ipso facto privati declarantur; ita ut ipsa beneficia vacare, & pensiones extinguere, & fructus vel alia bona Ecclesiastica cessare dicantur, Azor. p. 2. l. 7. c. 17. q. 1. §. decimum septimum. Gonz. loc. cit. n. 56. Lott. l. 3. q. 27. n. 19. & l. 1. q. 42. n. 42. Castrop. tr. 13. de benef. p. 2. §. 8. n. 19. Barbof. juris Ecclesiast. l. 3. c. 14. n. 63. licet itaque ex suppositione, quod contra dictam constitutionem peccatum sit, virtus illius in privando controversi nequeat sub prætextu, quod ea non sit usu recepta, ut determinavit Rota in Tullensi pensionis, 21. Aprilis, 1621. Lott. loc. cit. n. 92. contra Garc. n. 7. c. 1. n. 24. licet etiam hujusmodi objectus utcumque in nega-

tiva consistens probari posset per testes, concludentes, fieri non posse quod tales incessanter in habitu & tonsura; quin ipsi scivissent vel vidissent propter continuam conversationem (qui est legitimus modus probandi negativam per testes. Lott. n. 93. juxta Bart. & cit. Rota decif.) nihilominus tamen ad hunc effectum ita instruenda est probatio, ut concludat ad abjectionem, & quodammodo ad despectum Ordinis clericalis per incessum videlicet in habitu laicali, in locis publicis, & perpetuo frequentibus, & (ut addit Barbof. loc. cit. ex Farinac. in praxi criminali p. 1. q. 8. n. 68. Navar. & c. tanto tempore, ut communi opinione reputentur laici) & sine rationabili causa. Barbof. ibidem Lott. n. 96. & sic ferè explicatur in cit. clement. 2. de vita & honestate cleric. a qua non esse dubium, quia interpretacionem accipiat sanctio illa Sixti V. ait Lott. loc. cit. Ac proinde jam facillè elideretur hujusmodi probatio, ubi reus exciperet de rationabili causa aliqua, puta timoris, ut gl. in cit. clement. V. rationabilis, Lott. n. 97. & 98. Neque etiam attenditur incessus in publicum in tali habitu laicali, si joco, aut amenitatis gratiã id contingeret; ut Cardin. in cit. Clem. n. 4. Lott. n. 99. Hinc inquam concludit, ut ait idem Lott. n. 92. eum aggregi provinciam difficillimam, & fore inexticabilem, qui ex hoc capite, nimirum commissi delicti contra dictam Sixti V. constitutionem, impetraret beneficium. Requirit etiam, dum beneficium ex hoc capite impetratum, ut coram Executore apostolico citetur possessor beneficii; aliàs, esto, probetur illum publicè habitum laicalem detulisse, processus sit nullus, & possessor manutenendus in possessione, ait Barbof. loc. cit. probari fusè à Sperello paulò post citando n. 20. & seq. Porro tamen si clericus incidens in habitu laicali amittat beneficia (etiam ut Navar. loc. cit. n. 7. apud Barbof. ante sententiam declaratoriam; Quin & ut Sperell. decif. fori Ecclesiastici. decif. 66. nu. 19. apud eundem Barbof. teneatur in foro conficienti dimittere beneficium; & ante illam dimissionem non sit absolvendus, etiam si sit persona gravis, & promittat dismittere, vel imminet dies paschalis; vel sit spes obtinenda dispensationis) requirit tamen sententiam declaratoriam ad hoc, ut amittat fructus, & quod hos ante dictam sententiam non teneatur restituere, tradit Barbof. loc. cit. ex Gratian. discept. forensi. c. 441. Achil. de Grass. decif. unica. de penis. Vivald. in candelab. auro. tit. de habitu cleric. q. 3. & c. Nec exinde, quod talis amittat beneficia, perdere etiam privilegium clericale aut canonis: si quis suadente. ibidem, ait Barb. citans Navar. ubi ante. n. 8. & 10. Gonz. gl. 5. §. 5. n. 7. nec incurrere inhabilitatem, ut possit præteritari. Barb. ex Navar. loc. cit. n. 12.

Quaestio 188. An, & qualiter vacent beneficia exinde, quod is, qui habet incompatibilia, non vult Ordinario ostendere titulum dispensationis, quo illa possidet?

Respondeo: vacare ipso jure per non ostensionem tituli seu dictæ dispensationis, postquam monitus fuerit juxta c. ordinarii. de off. judicis ordin. in 6. asserunt Gonz. gl. 15. n. 62. Castrop. cit. d. 6. p. 2. §. 8. n. 13. Barbof. loc. cit. n. 34. citans plures alios. Ad quos intelligendum notanda sunt sequentia. Quod si justo impedimento cessante, requisiti intra tempus sibi juxta facti qualitate præfigendum dispensationem papalem non exhibuerint, ordina-

rii collatores beneficia illa tanquam non canonicè acq̄sita, & jure ipso vacantia conferre debeat juxta c. de multa. Sic enim expresse disponit Gregor. X. in cit. c. ordinarij. Laym. ibidem. in paraphrasi, per quem textum mandatur Ordinarijs (quo nomine hic veniunt, qui institutionem & destitutionem in beneficijs habent) ut ad istam dispensationem exhibendam districte compellant sub dicta poena; & licet textus ille loquatur solum de retinente plures dignitates, Personatus, & beneficia curata; Concilium tamen Trident. sess. 7. c. 5. eandem constitutionem innovans expresse eam extendit ad alia quæcunque incompatibilia. Juxta quæ, dum juris præsumptio est contra possessionem, uti est in hoc casu retentionis plurium beneficiorum incompatibilium, cogi potest possessor ad exhibendam dispensationem (quidquid sit de eo, num ab Ordinario cogi possit ad exhibendum titulum, dum talis præsumptio non est, v.g. dum unum vel plura compatibilia possidet; de quo supra, ubi de possessione) Laym. loc. cit. n. 2. citans Archid. & Ancharan, in cit. c. ordinarij. Et sic, si possessor præfixo sibi tempore dispensationem illam non exhibeat, præsumitur injustè detinere, adeoque per sententiam privari, aut privatus declarari potest; & beneficium alteri conferri. Laym. cit. n. 2. juxta eisdem Cardin. & Anchar. Potest siquidem, dum notorium est, aliquem incurrisse ipso jure privationem beneficii, vel penam aliam, ordinarius Judex statueret tempus ad executionem afferendam; quam si non attulerit, absque alia sententia judicis sententia legis executioni mandari potest. Laym. cit. n. 1. citans Dominic. in c. cum secundum. de hereticis. in 6. & Alex. de Nevo. in c. pervenit. de appellat. Neque ad negandam hanc dispensationis ostensionem possessorem tueri se posse regulà detrientali, eò quòd hac regula non procedat in pluralitate beneficiorum ob titulum infectum (intellige præsumptivè, dum nimirum, quia præsumitur deesse dispensatio, quæ sola reddit talem titulum non infectum) tradit Castrop. sr. 13. de benef. d. 6. p. 2. §. 8. n. 13. de quo vide dicta aliàs de possessione triennali. Veruntamen ex his omnibus patet, in hoc casu non tam ob non ostensam dispensationem induci hanc privationem, & vacationem ipso jure istorum beneficiorum, quam jam inductam à jure ob retentionem istiusmodi incompatibilium.

Questio 189. An, & qualiter vacent beneficia ob non solutas Camera apostolica annatas?

Respondeo: beneficia, pro quibus solvenda annata, ob earum non solutionem vacare ipso jure, ex varijs Pontificum constitutionibus, ac præcipuè Pii II. quam postmodum confirmavit Innoc. VIII. in constitutione sua 3. de 13. Kal. Martij 1484. tradit Lott. l. 3. q. 20. à n. 126. occasione cujus cum varijs passim fordidissimè de his annatis loquantur, scripserintque plures valde injuriosè Sedi Apostolicæ, puta Cosmas Guimier in sua glos. ad pragmaticam sanctionem, tit. de annatis in principio. v. annatarum. existimans eas paulo ante tempora Joannis XXII. exigij captas ex fructibus cathedralium vacantium, & isto onere mox per Bonifac. IX. indifferenter omnibus beneficijs contra totius juris divini ac humani dispositionem impositas, adeoque earum usum simoniacum, Item Duareus præ alijs audacior. de benef. l. 7. c. 3. aliique apud A-

zor p. 2. l. 7. c. 12. q. 1. & Lott. loc. cit. à n. 20. Hinc inquam sit

Questio 190. Quid sint annata &c. Unde invec̄ta, quibus beneficijs imposita, & qualiter solvenda?

Respondeo ad omnia breviter. Primò esse taxatam quantitatem aliquam fructuum, provenientium ex certis beneficijs primò anno vacationis vel obreptionis per modum vestigialis vel pensionis Papæ, vel Camera Apostolicæ solvi solitam & debitam; ita ferè ex Lott. cit. loc. n. 1. & Azor. cit. c. 12. sub initium.

2. Secundò: annatam hanc subrogatam loco decimæ, quæ olim in omnibus Christiani orbis provincijs colligebantur, ut notat Baron. ad annum 1156. ad finem. Lott. loc. cit. n. 23. Quod si verum, ut ait idem Lott. n. 24. necessariò sequitur, eam hodie deberi Papæ eodem jure, quo priùs illi debebatur decima vel reddecima, cum illa sit vis subrogationis, ut in eo, in quo non discrepant, subrogatum inducat naturam ejus, in cujus locum facta subrogatio. Ac proinde, si non jure divino positivo (quo summo sacerdoti in antiqua lege debita erat solvi decima decimarum à Levitis Numerorum c. 18.) ut sentit Cordubens. in tr. de annatis. apud Azor. loc. cit. §. tempore Sixti. & sentire visus Gamb. de offic. & potestat. leg. l. 1. n. 416. apud Lott. n. 25. saltem ex hoc jure divino scripto originem trahere. Azor. loc. cit. ex Eckio in Enchir. locor. communium, contra Luther. cit. de annatis. fatente annatam solvi Papæ juxta legis veteris institutum, idque non minus in recognitionem universalis dominij, quam in sustentationem Papæ ac Cardinalium egentium, ut Sarn. in præfat. reg. de valore. in 6. Mandol. in opusc. annales casus, casu 37. n. 167. aliique apud Lott. n. 26. hac secundarià intentione non tollente primariam; nempe dictæ recognitionis. Lott. cit. n. 26. Item quemadmodum affluentia divitiarum in persona, cui debentur decimæ, nihil de necessitate & justitia solvendarum ei decimarum remittit, ita etiam eadem in Papa non impediunt; quòd minus pergant ei deberi ex justitià annata. Lott. n. 28. & 29. dicens sic optimè doceri à S. Tho. 2. 2. q. 87. a. 4. ad 3. Soto de just. l. 9. q. 4. a. 4. in fine. Moneta. de decimis. c. 9. n. 4. & 2.

3. Tertiò, quòd hinc sequitur, nullam in hac annatarum exactione committi nundinationem aut simoniam: Nam esto, sit simonia, dum aliquid pecuniæ exigitur pro collatione beneficii; esto, id etiam minime excusetur ex eo, quòd id, quod exigitur cedat pro industria & ministerio ministrorum; id tamen malè applicatur exactioni annatarum, cum essentia seu substantia simoniæ consistat in pacto & condicito ultra præexistentem obligationem; adeo ut actus collatoris ab objecto oblationis sibi factæ per collatarium moveatur quasi ex quadam negotiatione. Lott. n. 30. Annata verò non exigitur tanquam debita ex condicito, sed tanquam debita ex antecedenter jam exstante lege (quid ni enim Papa sicut ferre potest legem absque ulla labe simoniæ, aut quòd per hoc vendat spirituale pro temporalizant nundinationem exerceat; ut qui deinceps beneficium obreineat, fructus primi anni, vel eorum dimidiam partem solvat in subsidium hujus vel illius clerici, conventus regularis, hospitalis &c. ita etiam ferre possit legem, ut iidem fructus solvantur, vel potius reserventur in communem

munem aliam utilitatem. Azor. *loc. cit.* §. sanè) seu etiam debita ex natura rei; cum sit onus reale, hoc est, inunctum rei usque ab ejus origine, ut ideo, cum exigitur à proviso, non exigatur tanquam debitum aliquà personali obligatione ortà in ipsius collationis articulo (quamvis nil veter eo ipso articulo primitus sine ulla præexistente lege aut obligatione exigere seu reservare sibi, seu necessitatibus Curia sua partem aliquam fructuum, non præcisè necessariam ad sustentationem provisi, dum quotidie id facit in gratiam & commodum aliorum; imponendo beneficiis, quæ confert pensionem in subsidium indigentium clericorum aliorum, absque eo, quòd dicatur eam pensionem exigere vel imponere simoniacè pro ipsa collatione, seu tanquam pretium illius. Azor. *loc. cit.*) sed tanquam debitum reale fructibus ipsi primi anni impositum, ut Coraf. *de benef. p. 4. c. 4. n. 53.* Et cujus proinde exactio aperta sit, ex momento vacationis, ut Campegius *de annatis. n. 11.* Ad eòque jam pleno iterum beneficio provisu teneatur solvere annatam, tanquam onus reale fructuum sequens quemcunque possessorem. Lott. *à n. 34.*

4. Quartò: quod ex immediatè præcedente sequitur, nimirum quòd, cum annata sit onus reale fructuum, ad eam solvendam non teneri, qui fructus ex beneficio suo non percipit. Lott. *n. 39.* citans Monet. *de distribut. quotid. p. 4. q. 9. n. 43.* Unde etiam decretum apponi solitum in indultis alitque gratiis, quòd provisi teneantur intra 6. menses jura Camera, id est annatam, solvere, sub pœna resolutionis gratia; ita intelligendum, ut hi 6. menses inchoentur à die possessionis adeptæ, quo potuerunt fructus percipi. Lott. *num. 40.* citans Put. *decis. 327. l. 3.* Rotam in *Hispal. fructuum. 15. Maji. 1596.* Quin & propterea, dum sub narrativa intrusionis, eà verificatà, soleat indulgeri dilatio ad solvendum, donec depulso intruso possessionem fuerit afsecutus. Lott. *n. 41.*

5. Quintò: sed neque dum fructus beneficii usque adeo tenues sunt, ut non excedant valorem 24. ducatorum de Camera, nullam solvendam esse annatam ex constitutione Pii V. 39. Lott. *n. 42.* nullamque etiam in hac re habendam rationem distributionum quotidianarum. Lott. *n. 42.* citans Gonz. §. 7. *proem. n. 66.* Monetam ubi ante *n. 25.* etiam si omnes redditus consistèrent in distributionibus. Lott. *n. 44.* Monet. *loc. cit. n. 29.* Quin & ipsis supplicibus (Executoribus literarum plerumque ad provisorum libitum deputatis) super hoc fides habeatur. Lott. *cit. n. 44.* Quamvis, cum plurimi non vererentur super hoc valore mentiendo fraudem facere annata; in vecta sit demum regula cancellaria 55. præcipiens exprimi valorem, sub pœna nullitatis gratia ipso facto incurrendæ. Lott. *n. 45.* citans Gonz. *15. nn. 133.* Chok. *ad dictam regulam. n. 20.* in vecta quoque sic regula alia, nempe 22. præcipiens, verum valorem exprimi in unionibus sub pœna nullitatis unionis. Lott. *n. 48.* de cujus valoris exprimendi necessitate, modo, probatione, videtarum regularum, vide fusè Lott. *à n. 51.*

6. Sextò: quòd iterum consequitur ex præcedentibus, si contingat plures vacationes ejusdem beneficii eodem anno fieri, notam duntaxat exigi annatam. Lott. *n. 107.* Unde si is, qui secundo loco providetur de tali beneficio, de hoc moneat officiales, hi còpèrtà solutione semel factà, per decessorem, ne prætextu exactiois hujus aliqua mora fiat expeditioni, notant à tergo literarum hæc ver-

ba: *pro annata nihil* Lott. *n. 108.* ex Mandof. *opusc. de annat. casu 371. n. 168.* Quin &, si quis se intruserit in beneficium, & is annatam solverit (intelligitur de annatis concessis inferioribus Ecclesiis in vim statuti vel indulti Apostolici pro fabrica &c. Et mox, vel etiam post plures annos litis per canonicè provisum dejiciatur, hic non cogatur de novo solvere annatam illam. Lott. *n. 109.* citans Rotam in *Hispal. Quintorum 27. Novembr. 1627.* quòd ipsum fusè prosequentem vide Lott. *ibid. n. seq.*

Quaestio 191. An, & qualiter per non expressum verum valorem vacent beneficia?

Respondeo: per dictam regulam Cancellaria, quæ est 61. Innocentii VIII. & 54. Pauli V. de exprimendo in impetrationibus valore vero beneficiorum, tam prius obtentorum, quam de novo obtinendorum ob malam expressionem valoris, seu ob non expressum verum valorem non inducitur vacatio illa beneficiorum præhabitorum, Sed nec ulla inducitur vacatio nova, sed simpliciter tantum resolvitur gratia de novo facta, sed impetratio illa secundi beneficii redditur nulla & irrita, & sic semper reservatur vacatio prior istius beneficii. Ità etiam, ut si in resignatione falsus valor sit expressus, nihil intelligatur vacare, sed jus illud, quòd prius erat apud resignantem, durare apud eundem. Lott. *l. 3. q. 20. n. 102.* citans Rot. *decis. 417. n. 1. & 2. p. 1. divers. Chok. ad dictam reg. nu. 17.* occasione tamen cujus,

Quaestio 192. Quando, & qualiter dictum valor exprimendus & justificandus?

1. Respondeo ad singula breviter: primò regula hæc locum non habet in collatione Ordinarii, sed tantum in gratiis Papæ, Legatorum, Cardinalium. Chok. *ad hanc regulam. n. 15.* citans Mandof. *ad regulam 22. q. 11. n. 3.* Paris. *de resign. l. 8. q. 9. n. 44.*

2. Secundò: locum non habet in Canoniciatibus Germania, & Hispaniæ, eò quòd hodie ex generali consuetudine & stylo curia Romanæ hi canonici rescribuntur omnes ad 24. ducatos, idque, ut videretur annata, & ità habent Concordata Germania; ut videre est apud Brandin. *super concordata Germania. not. ab. 2.* Ad idque solet clausula augendi & diminuendi in literarum expeditione, vel quòd verus valor, & vacationis modus habeantur pro expressis.

3. Tertiò: de cetero valor ille exprimendus est, etiam in beneficiis impetratis motu proprio; quæ olim tempore Innoc. 8. excipiebantur. Chok. *ibidem n. 14.* Lott. *cit. q. 20. n. 51.*

4. Quartò: in ordine ad reddendam gratiam nullam ità consideretur falsi valoris expressio, ut perinde sit, sive minor, sive major vero expressus sit. Chok. *n. 22.* citans Gurtier. *qq. canon. l. 2. q. 15. n. 76.* Crescent. *decis. 8.* de præbend. ac dicens sic servari de stylo Curia Romanæ, Et si enim, dum major vero expressus valor, indubitatò quoq; Papa, & factilius quidè, concessurus fuisset beneficium, si valor verus minor expressus fuisset; quia tamen valor verus erat exprimendus, & valor ille sit pars gratia, & non causà solius demòstrationis adjectus (ut voluit Covar. *l. 1. variarum resolut. c. 20. n. 7.* & hinc gratiam in hoc casu non vitiori) sequitur, quòd gratia, etiam expresso majore valore, sit nulla & subreptitia. Chok. *n. 25.* qui etiam *n. 23.* ait, id procedere etiam, dum major valor expressus, citra quòd

quod opus erat exprimi valorem; citat pro hoc Mascard, de probat. conclus. 874. n. 6.

5. Quinto: valor expressus iustificandus est, ita, ut ne quidem tunc remittatur ea necessitas probationis, dum nullus contradicatur; Lott, loc. cit. n. 53. Neque contrarium sentit Felin. in c. ad aures. n. 4. nam intelligendus, quod, dum proceditur extrajudicialiter sine contradicatore, opus non sit verificatione judiciali. De cetero enim, dum proceditur judicialiter, etiam dum non est contradicitor, Executor debet adhuc extrajudicialiter informari de veritate. Lott. n. 54.

6. Sexto: distinctè & non in confuso probandus. v. g. dum narratum unum beneficium non excedere 100. alterum non excedere 24. non sufficit probare ambo simul sumpta non excedere 124; sed probandum distinctè de singulis; nempe, quod unum non excedat 100. alterum non excedat 24. Chok. n. 16. citans Garc. p. 6. c. 2. n. 15. Item probandus plenè & concludenter, nec sufficit illum probari per publicam vocem & famam, dum agitur de perpetuo præjudicio. Chok. *ibid.* de quo paulò pòt ad finem hujus questionis plura. Item iustificatio valoris debet concludere ad tempus gratiæ (quod tamen ad momentum non restringitur, seu probari debet tunc, quando fit gratiæ, tanti valore beneficium. Lott. n. 56. citans Felin. ubi antè. 17. Oldr. conf. 58. n. 1. Verall. decis. 120. l. 2. ita ut nihil agat, probando valorem de annis aliquot remotis; cum valor pro uno tempore non concludat ad valorem pro alio tempore. Lott. n. 51. citans Felin. ubi antè. Paris. de resign. l. 10. q. 2. n. 17. Verall. decis. 330. &c. Id. que, etiam si deducatur ex confessione partis, quæ tunc demum attenditur, dum est contemporanea, hoc est, intra eundem annum, vel paulò ante, cum excessus modicus duorum vel trium mensium non consideretur; eò quod intra tam modicum tempus non præsumatur considerabilis alteratio valoris contigisse. Lott. à n. 58. sic neque circa hunc valorem iustificandum aliquid concludit, qui simpliciter probat, tot fructus perceptos de isto anno gratiæ, & eos plus non valuisse; cum id contingere potuerit ex singulari istius anni sterilitate, vel ubertate. Lott. n. 61. sed probandus valor uniformis per annos aliquot non minus quatuor. Lott. n. 62. Verùm vide dicta à nobis de hoc alibi.

7. Septimò tam in exprimendo, quam iustificando valore omnis ille rigor relaxatur; dum ut consuevit, in supplicatione inseritur clausula facultatis augendi & minuendi: hujus enim virtus est, ut, etiam si expressus fuerit falsus valor; non tamen ideo corruat gratiæ; nisi post consumptam vim dictæ clausulæ per expeditionem literarum valide factam. Lott. n. 65. citans Gonz. gl. 15. §. 2. n. 77. & 78. & circa iustificationem adhuc remittitur sexta pars; ita ut hæc pro causando excessu non habeatur in consideratione. Lott. *ibidem*. Sed neque de cetero, ut ait Lott. nu. 66. in statuenda mensurâ probationis usque adeo scrupulosè sit indagato; si enim agatur de valore beneficiorum obtentorum; cum pro iis non solvatur annata (& expressio valoris facienda ad hunc tantum finem, ne annata fraus fiat) adeoque jam cesset præsumptio doli, eò quod jam nihil sperari possit utilitatis ex mala expressione valoris; hinc sufficit pro iustificatione, non tantum levis & minor, quam simpliciter, sed etiam quavis levissima probatio, v. g. sufficit unus testis de fama, & certioratio, etiam

per literas familiares, modò tamen hæc probatio levissima in suo genere sit perfecta. Lott. à n. 67. citans aliquot Rota decis. Quin & prorsus remittitur hæc probandi necessitas, si offeratur dimissio, sive hæc dimissio fiat ex necessitate decreti de dimittendo, sive ex mera voluntate ob simplicem incompatibilitatem. Lott. à n. 71. Si verò sgatur de valore beneficii impetrati; cum nec in hoc casu verisimile sit, provisum pro modica utilitate, quam habere posse ex defraudata annata, voluisse se exponere tam manifesto periculo annulationis gratiæ; excessus etiã valoris non facile præsumatur, ut Bellamer. decis. 682. n. 2. sufficit quoque in iustificanda narrativa semiplena probatio, ita ut sufficiat unus testis, modò is deponat ex certa scientiâ; aliàs semiplena non esset in ratione semiplenæ perfecta, sed egeret concursu adminiculorũ. Item testes deponentes de valore ex publica voce & fama; modò fama illa non sit vaga, vel alio, quovis modo deficiat. Lott. à n. 74.

8. Denique hic notandum, dicta hæc de expressione valoris minus exacta & sufficientia probationis levioris, seu minus rigidæ intelligenda, dum agitur de valore exprimendo ex præscripto dictæ regulæ Cancellariæ; quia longè alia est ratio expressionis valoris pro constituenda pensione, & in articulo objectivo, dum nimirum objicitur expressum fuisse falsum valorem in fraudem annatæ, & sic inducta nullitas gratiæ vi dictæ regulæ Cancellariæ, & ex hoc capite impetratur beneficium. Tum enim; quia versamur in materia odibili & pœnali, concludenter hic objectus iustificandus ab impetrante, sive plenè probandus est ab eo valor; ita ut concludatur ad fraudem, utpote super qua fundatur dicta regula Cancellariæ de exprimendo valore. Lott. à n. 89. & ut ait idem nu. 96. exigitur probatio luce meridiana clarior, nec permittitur conjunctio semiplenæ cum semiplenâ; nisi civiliter agatur. Unde hunc in finem, nempe ut impetrans ex dicto capite iustificet concludenter gratiam articulandi valoris, practicam hanc Sarnensis ad hanc regulam. q. 12. (quam pluribus defendit, & à Rota observari ait Lott. n. 92.) nimirum, quod beneficium tempore provisionis & oneribus deductis (neque enim audiendus hic Ripa in l. 1. §. si heres. ff. ad trebell. existimans onera, cum non præsumantur, à reo, & non ab actore probanda. Lott. n. 97. dicens hanc opinionem à Rota merito rejectam; quin ut addit idem nu. 99. non sufficit positio aliquorum onerum, nisi facta sit taxativè) valet tantum importare, & quod per 5. annos antè & pòst anno fertili cum sterili computato communi æstimatione tantum valuit; & ita testis de tali beneficio notitiam habens dicit, se scire, & si plus vel minus valeret, ipse non ignoraret. Hanc quoque practicam, nimirum valorem probandum per integrum dictum decennium continuum, sequuntur Garc. p. 1. c. 3. num. 229. item Mandos. ad reg. 22. q. 5. nu. 2. Mascard. de probat. conclus. 1403. apud Lott. n. 92. à quibus tamen cavendum ait, dum hi auctores hanc regulam generalem astruunt, confundentes hanc materiam odiosam cum favorabili, vel indifferente, adeoque non discernentes, in quibus terminis loquatur Sarnens. Et nisi dicta practica restringatur ad impetrantem ob non expressum verum valorem, foret impracticabilis in provisus, in quibus non cadit terminus habilis de annis 5. ante & post, ut ait Lott. n. 93. Porro necessitas rigidæ hujus probationis

tionis pari modo astringit illum, qui gratiam Apostolicam super reservatione, & in quacunque demum alia impugnativa narrativæ valoris locum habet. Lott. num. 95. vide eundem de his pluribus num. seq.

PARAGRAPHVS III.

De vacatione ex privatione ob delicta commissio- nis &c.

Questio 193 An, & qualiter vacet beneficium ob apprehensam possessionem illius ante expeditionem literarum?

1. **R**espondeo primò: Siquis beneficii à Papa sibi collati possessionem apprehendat, ante expeditionem literarum, eo ipso vacat ipso jure beneficium hoc obtentum: imò & reliqua, si quæ habeat, juxta constitutionem Julii, III. de 27. Maii, Anno 1553. Castrop. tr. 13. de benef. d. 6. p. 2. §. 8. n. 16. Gonz. gl. 15. n. 98. Barbof. juris Eccl. l. 3. c. 14. nu. 38. vide de hoc plura à nobis dicta, ubi quando capienda possessio. Ultra quæ citra hanc constituit. Julii III. statutamque in ea poenam notanda sunt sequentia.

2. Primò: quòd in hoc jus novum constituit, & jura antiqua, nempe decretum concilii generalis in c. avaritia. de Elect. in 6. & Extrav. in cunctis. de prebend. inter communes. extendit, dum sub poena privationis ipso jure vetat, non solum electos & promotos ad consistorialia (ad quæ tantum sub dicta poena extendebant se dicta jura antiqua) sed etiam omnes provisos Apostolicos de quibuscunque aliis beneficiis eorum apprehendere possessionem ante expeditionem literarum. Lott. l. 3. g. 19. nu. 2. & 17. ratione ampliandæ hujus poenæ respectu horum beneficiorum etiam inferiorum non existente aliâ, quam quia poena privationis, quæ respectu eorum imminet tantum, ex sententia hominis in vim antiqui præcepti, parvi fiebat. Lott. à n. 19.

3. Secundò: quòd ideo in aliis, quam in provisos Apostolicos locum ea constitutio non habeat; quia in his solis militat ratio contemptus præcepti de expediendo literas; dum in inferioribus provisos non cadat illa necessitas literarum; siquidem, quantum est de jure communi, in collationibus beneficiorum non exigitur certa aliqua verborum forma, potestque fieri provisio per quemcunque actum, sive verbo, sive nutu, modò voluntas conferentis exprimat, Lott. n. 26. & 27.

4. Tertiò: quòd incurratur dicta poena etiam, dum capta fuisset invalidè & nulliter possessio; cum lex consideret contemptum, qui in simplici facto consistit, & cujus proinde consideratio militat æquè in actu, nullo ac invalido. Lott. n. 31. citans Aymon. de antiq. temp. p. 4. num. 105. & conf. 291. n. 7. Etsi stante hac nullitate, non incurratur etiam poena privationis respectu obtentorum. Lott. n. 32. in fine. citans Rot. in Verdun. Parochial. 23. Junii. 1586. & Verall. decis. 98. n. 1. & 3. p. 3.

5. Quarto: sed neque ad declinandam poenam illam admittitur excusatio ex poenitentia, & abstinentia ab ulteriori ingestione; consummato e-

nim delicto intempestiva est poenitentia pro evitanda poena ipso jure inflictâ, ut gl. in Clem. 1. §. quæ verò. v. ipso facto. de statu Monacha. Lott. cit. n. 32.

6. Quintò: quòd locum habeat dicta poena, dum quis provisus à Papa, prætermisâ expeditione literarum, sub prætextu multiplicandi sibi titulum procurat sibi insuper provideri ab inferiore, & cum tali provisione ingreditur possessionem; quia videtur verius hic color quæsitus pro eludenda dispositione legis de expediendis literis, quam pro adhibenda majore cautela: Etsi enim titulus Apostolicus multiplicabilis sit etiam ex titulo ab inferiore, suppositâ tamen validitate tituli Apostolici à principio, si procuretur insuper alius, cautea diceretur nimia, quæ magis fraudem & dolum arguat. Et si in virtute istius superinducti tituli apprehendatur possessio, non potest imaginari alius finis istius multiplicationis, quam evitandi præceptum de expediendo literas; quòd est fraudem ab eventu colligere. Lott. à nu. 40. Neque adhuc in hoc casu vitaretur dicta poena prætextu, quòd beneficium esset juris patronatus laicorum; quia licet constitutio indefinitè loquens non comprehendat hujusmodi beneficia, ubi tamen constitutio concepta est per verba generalia omnino, cujusmodi est hæc constitutio Julii III. utens hæc clausulâ: *quandocunque, & qualitercunque qualificatorum*: quæ nimis effusa & effrenata est significationis, contrarium dicendum est, modò tamen militet eadem ratio; aliàs enim parvi penditur cuiusvis universalis & effusa orationis ponderatio; quemadmodum, quia dicta constitutionis ratio, utpote fundata in supposito mera gratiæ, locum non haberet in hoc casu, dum nimirum præsentatus à patrono sine ulla necessitate, declinatâ auctoritate Ordinariâ curaret se institui à Papa, utpote quæ institutio non esset mera gratiæ, sed potius iustitia; utique locum non haberet dicta constitutio. Lott. à nu. 44. Secus tamen est, seu non habet locum dicta poena, ubi quis prius inductus in possessionem auctoritate Ordinariâ, & dein post novam provisionem obtentam à Papa, continuasset priorem illam possessionem ante expeditionem literarum. Gonz. loc. cit. (ubi ex Mandos. ad reg. 27. de non iudicando juxta formam supplicationis, quòd dicta constitutio locum non habeat in eo, qui possessionem continuavit vigore collationis ordinariæ, sed in eo, qui possessionem ingreditur vigore supplicationis) Lott. n. 35. hæc n. 36. subdens rationem, quòd in tali deprehendi non possit aliud delictum, quam simplicis negligentia, ex qua non inferitur necessariò ad contemptum, prout hoc crimen distinctum est à negligentia, cujus potest esse causa, & non esse causa, adeoque ex ea utrumque punibile non concluditur ad dolum, sed potius locum habere videtur communis regula: præsumptio fit in meliorem partem.

7. Sextò: adhuc locum esse dictæ constitutioni, & poenæ in ea contentis, dum quis obtentâ simplici provisione à Papa tanquam de vacante omisâ literarum expeditione, pro qua solvenda erat annata, tacitâ hujusmodi provisione jam sibi factâ beneficium impetraret certo modo, puta per devolutionem aut confictâ intrusionem alterius, & sub hac técnica, factâ simplice obligatione de solvendo annatam, quando foret possessionem affectus literis expeditis, in earum vim possessionem occupabat; siquidem in hoc casu adhuc militat ratio contemptus, utpote habens radicem in avaritia pro

pro fraudanda annata. Nec potest videri satisfactum constitutioni, quod iste sit adeptus possessionem virtute tituli Apostolici; cum illiusmodi littera piscatoria non dent titulum, sed simplicem actionem Lott. à n. 52.

8. Seprimò: Quod, qui ex hac vacatione impetrat, ostendere debet primò factum possessionis apprehensæ, adeòque non sufficeret ostendere, v. g. electum & confirmatum ante adeptam possessionem pro tali se gessisse, veluti si beneficia ad suam collationem pertinentia contulisset (quod est permittum *c. nosti, de electi. Rebuff. in pr. de Simon. in resgn. ex n. 25.* Neque id vetat *Extrav. injuncta. in iuribus* namque incorporalibus pro eorum exercitio sufficit habere jus circa facti possessionem; qualiter & patronus in patronatu hereditario valde præsentat, antequam missus in possessionem hereditatis. Lott. *loc. cit. à nu. 28.*) cum id ad contemptum non concludat. Lott. *nu. 28.* Deinde debet justificare negativam non expeditionis litterarum. Lott. *nu. 33.* citans seipsum *l. c. q. 48. ex n. 286.* Est autem difficilis probationis ostensis litteris justificare, eas non fuisse expeditas tempore adeptæ possessionis; cum quocumque hæ littera expeditæ exhibentur, præsumitur expeditio illorum facta in tempore; tum pro evitando delicto, tum quia hoc ipsum inter alia est possessionis commodum. Lott. *n. 34.* qui etiam *n. 35.* hanc suggerit reo cautelam, ne detegatur intemptiva harum litterarum expeditio: nempe ut caveat à productione litterarum originalium (utpote in quibus consuevit adnotari per expeditores tempus, quo eas misit ad plumbum; ante enim plumbationem impossibile est fuisse expeditas) sed, si quo modo urgeatur eas producere, producat earum sumptum ex registro Apostolico, cum sumptum huiusmodi æque plenam fidem faciat ac sumptum originale, & tamen non prodit defectum hunc; cum dicta annotatio adjiciatur literis post registrationem, ac proinde manente semper hoc onere probandi negativam non expeditionis litterarum factæ in tempore apud actorem, impossibile est ei, aliter justificare hanc negativam, quam per diligentias apud officium plumbatoris, & alia aliorum officialium & ministrorum; ita ferè Lott. *cit. nu. 35.* Denique de cetero justificatæ temel impetratione ex hoc capite intrusus non solum destituitur beneficio regularum *de annali & triennali.* verum etiam, stante decreto irritante contento in dicta constitutione Julii, non potest excusari ex non usu, vel etiam ex capite ignorantia. Lott. à n. 57.

Questio 194. *An & qualiter inducatur vacatio ipso jure per factam violentiam in apprehendenda possessione, dum nimirum alius esset in possessione illius beneficii?*

Respondeo: etiam legitime alias provisus, seu habens canonica titulum beneficii, si violenter auctoritate, seu potius temeritate propriâ illud occupet, seu possessionem ejus accipiat, privatur eo ipso, seu jure ipso (hæc enim clausula eo ipso, est clausula lata sententia. Lott. *l. 3. q. 22. n. 2.* Jo. Andr. *in c. eum, qui, de præb. in 6. nu. 1.* Gemin. *n. 5.* Anchar. *n. 3.* Pavin. *tr. de off. & potest. capit. sed. vacant. in præjud. nu. 10.* Rebuff. *in pr. tr. de modis amitt. benef. c. 9. nu. 28.* Covar. *var. resol. l. 3. c. 16. num. 6.*) jure omni, quod habet in illo beneficio. Lott. *loc. cit. n. 1.* Castrop. *de benef. tr. 13. d. 6. p. 2. §. 8. nu. 11.* Gonz. *gl. 15. n. 58.* Garc. *p. 11. c. 10. à n.*

F. Leuren, Forti Benef. Tom. III,

208. *juxta c. eum, qui.* Quod etsi in prima sui parte loquatur tantum de dignitatibus & personatibus; procedit tamen id ipsum in quibuscumque etiam aliis beneficiis, ut patet ex ejusdem textus lectura. Lott. *n. 3.* citans Abbat. Franc. *in cit. c. n. 1.* Pontani. *de spol. l. 1. c. 9. ex n. 91.* Menoch. *de recuper. possess. remed. 9. ex nu. 277. & 306. & c.* Privatur quoque jure, quod habet ad tale beneficium, v. g. præsentatus ante institutionem, electus ante confirmationem ingerens se, aut possessionem capiens; de quo vide fusè Garc. *loc. cit. à n. 214.* verum ut constet, hæc privatio juris ad beneficium vacationem non inducit. Castrop. *loc. cit.* Privatur item ipso jure beneficio præhabito, dum illud similiter ac fecundum, cujus violentiam capit possessionem, curarum est, textu *cit. c. eum, qui.* sic specialiter disponente, non verò aliis præhabitis. Castrop. *loc. cit.* Secus est de eo, nimirum, quod non sit privatus jure in illo beneficio habito, qui apprehenderet propriâ auctoritate possessionem ab alio occupatam, non adhibendo violentiam ei, qui est in possessione; puniendum tamen, nec lucraturum fructus, nec manutenendum in ea possessione, tradit Garc. *loc. cit. n. 212.* ex Rebuff. *in pr. de modo amittend. n. 28.* Porro exigi declaratoriam violentiæ, occupationis (quod aliter intelligi nequit, quàm præviâ cognitione causæ) non quidem, ut ante hujusmodi declaratoriam non possit beneficium impetrari ut vacans, sed ut non prius possit per hujusmodi impetrandem pro executione suarum litterarum possessio apprehendi, tradit Lott. *loc. cit. na. 4. & 5.* ed quod licet teneant plures, possessionem privatum ipso jure non esse citandum; contrarium tamen videatur ipsi verius; cum dari possit instantia alicujus defensionis. De cetero, quando dicatur violentia adhibita, & alia circa hæc vide supra, ubi actum qualiter propriâ auctoritate capi possit possessio. Quibus adde, quod ait *cit. q. 22. n. 38.* Lott. Semotâ lite formali, pœnam *cit. c. eum, qui.* ferè esse impracticabilem; cum semper in omnibus provisionibus Apostolicis hodie expediatur processus fulminati, in quibus decernitur immissio, atque ita semper excluditur qualitas illa temeritatis; cum ad sit tunc auctoritas judicialis, id est executoris, in quo non distinguitur, an justè, an injustè processerit, quocumque enim modo is processerit, excludetur temeritas provisi juxta dicta supra, adeòque pœna *cit. c. eum, qui.*

Questio 195. *An, & qualiter vacet beneficium ob violationem sequestri?*

Respondeo: ob violationem sequestri factam, nimirum à litigante, dum fructus sequestratos occupare præsumit; vel sequestrum ab Ordinario ponendum impedit, vacat ipso jure, & amittitur beneficium, super quo, seu in cujus causa impositum sequestrum; si in eo dictus violator jus habebat. Lott. *l. 3. q. 22. nu. 40.* Gonz. *gl. 15. nu. 59.* Castrop. *cit. §. 8. n. 12.* *juxta clem. unic. de sequestrat. poss. & fruct.* Quæ constitutio extenditur ad quilibet beneficia (comprehendendo etiam pensionem) quia est constitutio in favorem sequestri litigantibus utilis; & in executionem sententiæ diffinitivæ lata. Castrop. *loc. cit.* Non verò extendit se ad beneficia, si quæ præter illud, super quo impositum sequestrum, habet talis violans; quia de illis citatus textus non loquitur. Castrop. *ibid.* Et sic illico potest Episcopus tale beneficium conferre, etsi sequestrum impositum sit in curia, cum illico

H

inducit

Inducatur hæc vacatio, eaque sub clausula generali quo modo comprehenditur. Lott. à n. 42. Proceditque idipsùm, etiamli prætendatur sententiam fuisse nullam; nam cum non possit ante declarationem super nullitate evitari temeritas & speret iste auctoritatis judicialis, ob quem dicta pœna imposita; adhuc militat dispositio dictæ *Clement.* si tamen ipsùm sequestrum sit validum. Lott. n. 45. imò etiam si à sententia fuisset appellatum. Lott. n. 46. Non verò procedit, ubi temeritas illa aliqua ratione foret excusabilis, v. g. si ideo occupati fuissent fructus, quia non videbantur cadere sub sequestrum; eo quodd prius fuissent collecti, vel etiam simpliciter à solo separati, cum illud factum occupandi tunc fructus tenderet potius ad reprimendum excessum sequestris, quam ad iudicis contemptum; quia non desunt existimantes, sequestrarium non posse huiusmodi fructus accipere; cum non dicantur fructus fundi vel beneficii, sed possessoris. Lott. n. 51.

2. De cetero, ut pœna dicta incurratur, debent intervenire sequentia: primò debet sequestrum imponi vigore sententiæ diffinitivæ, non interlocutoriæ, & quidem lata in curia Romana, & non extra. Castrop. Gonz. *ll. cit.* Lott. n. 47. cum sententiæ diffinitivæ majore cum maturitate proferrantur, adeoque speret iste auctoritatis judicialis sit major, ut Lott. n. 48. Et licet in aliis casibus detur esse major ratio, dicta tamen *Clem.* sic statuens in hac parte à jure exorbitet, & hinc ad alios casus non extendenda. Lott. n. 49. Secundò: debet esse impositum in causa beneficii super petitorio vel possessorio non in causa attentatorum, seu lata debet esse sententia contra possessorem, vel in petitorio vel in possessorio plenario, per quod plena & totalis possessio ab alio aufertur & alteri indiffruitivè adjudicatur. Lott. n. 50. Castrop. & Gonz. *ll. cit.* ex Lancellot. *de attent. p. 3. c. 28. n. 243.* Tertiò: debet esse impositum super ipso beneficio, & non super membro, & re ipsius beneficii. Castrop. *ibid.* citans Riccium *Collectan. 223.* Barbof. *alleg. 54.* Lott. n. 47. Quartò: sententia non debet esse lata contra possessorem triennalem; cum contra hunc imponi nequeat sequestrum. Castrop. *loc. cit.* citans Barb. *ubi antè.* & Gonz. §. 2. *proem. num. 72.* quem vide *ibidem* fusè per totum §. 7. de sequest. hoc, quod vi constitutionis Pii quarti sub die 26. Octob. 1560. quæ in Bullar. est 142. mandatum, imponi fructibus, redditibus, proventibus beneficiorum; ratione mensium aut aliàs reservatorum, dum inter provisum Apostolicum & provisum ab Ordinario desuper litigari contigerit, statim ut iudex citatà legitimè parte & citatione reproductà cognoverit præfatam reservationem, etiam summarie & extrajudicialiter.

Quæstio 196. An, & qualiter vacent beneficia eorum, qui scripturas spectantes ad cameram Apostolicam indebitè retinent, vel scientes ab alio retineri, & id non revelantes?

Respondeo: Vacare ipso jure ex constitutione Julii 3. de ult. April. 1552. quæ est 24. & incipit cum acceperimus. Gonz. *gl. 15. n. 99.* Barbof. *juris Ecclesiast. l. 3. c. 14. n. 41.* Castrop. *de benef. d. 6. p. 2. §. 8. n. 18.* Idem est, si quis bona palatii Apostolici detineat, & non restituat, juxta constitutionem 6. Alex. 6. & constitutionem 1. Clem. 7. Castrop. & Gonz. *ll. cit.*

Quæstio 197. An, & qualiter vacent beneficia ob crimen falsi in literis Apostolicis commissum?

Respondeo: Qui per se, vel per alium in literis Apostolicis vitium falsi fecerit, aliquid in eis delendo, interlevando, vel in hoc consilium, auxilium, mandatum dederit, præterquam quòd excommunicationem incurrat, privatur seu privatus est beneficiis, si quæ habet; Gonz. *gl. 15. nu. 37.* Castrop. *loc. cit. n. 40.* Garc. *p. 11. c. 10. n. 170.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 17. q. 1. §. crimen. juxta c. ad falsarium. de crimine falsi;* qui textus, etsi id non exprimat, intelligitur tamen communiter ab auctoribus de privatione ipso jure. Azor. *loc. cit.* citans Rebuff. *de pacif. poss. num. 265.* & in *pr. tit. de mod. amit. n. 43.* sic quoque privantur beneficiis & officiis, qui sub nomine Pontificis literis falsis ab alio impetratis utuntur. Item qui falsas literas impetrant. Castrop. *loc. cit.* Debere autem falsificantes literas Apostolicas super hoc prius convinci in iudicio, juxta quod denotant verba *cit. c. falsarium: qui falsarii fuerint deprehensi.* Et quoad alios illos usurpantes, aut impetrantes literas falsas debere expectari sententiam declaratoriam, tradit *ibid.* Castrop. Notandum hic cum *C. de Luca. d. 75. n. 13.* quætionem procedere de crimine falsificationis in literis Apostolicis commissio per jam possessorem, seu provisum de beneficio, quòd nimirum privetur is illo; secus enim est, si crimen hoc jam commissum, & inquisitio de eo aderat tempore provisionis: nam tunc non privatur illo beneficio, sed inhabilis redditur ad illud assequendum; cum crimen falsitatis non tantum in literis Apostolicis commissum, sed etiam cujuslibet alterius ob infamiam, quam irrogat, hunc effectum inhabilitatis inducat: etsi de cetero alterius falsitatis crimeu, seu crimen falsitatis in genere privationem beneficii jam obtenti non inducat.

Quæstio 198. An, & qualiter vacent beneficia ob malam promotionem ad ordines?

Respondeo: Malè promoti ad ordines (intellige majores. Chok. *ad reg. Cancell. de male promot. n. 5.* ex Mandos. *ad eandem regulam. q. 1.*) putati ob inhabilitatem ex aliquo vitio, seu crimine, vel per saltum, vel sine sufficiente titulo, aut dimissoriis; vel ante legitimam ætatem, extra statuta tempora, suspensi sunt ab omni ordinum exercitio, sublata eis facultate ascendendi ad alios ordines. Si nihilominus in dictis ordinibus ministrare præsumperint, non solum efficiuntur irregulares, sed etiam dignitates & quæcunque beneficia ab illis obtenta vacant ipso jure per constitutionem Sixti V. reddunturque per eandem constitutionem quæ incipit: *Sanctum & salutare:* sub dato Nonis Jan. 1558. ad illa & alia quæcunque perpetuò inhabiles. Gonz. *gl. 15. n. 127.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 17. §. decimum octavum crimen.* Veruntamen hodieum pœna illa privationis locum non habet; quia dicta constitutio Sixti V. è medio sublata, ac ad terminos juris communis & Trid. & constitutio Pii II. quæ incipit: *cum ex sacrorum,* & est in Bullario 6. (quæ non nisi privandus per sententiam veniebat talia faciens, id est, ministrans in ordinibus, ad quos malè promotus, Gonz. *loc. cit. n. 228.*) redacta per constitutionem Clem. VIII. emanatam 1. Kalend. Martii. 1595. Chok. *loc. cit. num. 3.* Gonz.

Gonz. cit. n. 128. qui etiam gl. 5. §. 10. ex n. 22. specialiter, quod non operetur dicta constitutio Sixti V. quoad suspensionem promotorum ad ordines sine, aut cum ficto titulo.

Questio 199. An, & qualiter vacent beneficia per alienationem rerum Ecclesie seu beneficii?

1. **R**espondeo: Rectores Ecclesiarum seu beneficiorum, vel etiam commendatarii, aut administratores, qui bona Ecclesie vel beneficii sui, hoc est, ipsum dominium vel jus aliquod, sive per venditionem, sive donationem vel emphyteusim, hypothecam, pignoris locationem ultra triennium, simileve aliud pactum, per quod dominium transfertur, aut transferri consuevit, transferre in alium presumunt (praterquam in casibus in jure permisis, vel de rebus in emphyteusim ab antiquo tempore dari solitis, & tunc in evidentem Ecclesie utilitatem, aut de fructibus & bonis, qua servando servari non possunt) sine Papae consensu, dum sunt Episcopo, & Abbate inferiores, Prioratibus, Praepositis, dignitatibus, Personatibus, administrationibus, officiis, Canonicatibus, praebendis aliisque Ecclesiasticis, cum vel sine cura beneficiis, quorum res & bona alienarunt duntaxat (non vero aliis) ipso facto privati existunt: illaque absque declaratione aliqua vacare censentur; possuntque per locorum Ordinarios vel alios, ad quos eorum collatio spectat, liberè personis idoneis (his exceptis, quae propterea eis privata fuerunt) conferri; nisi forte aliis specialiter aut generaliter sint Papae reservata. Si vero alienatores sint Episcopi aut Abbates, ingressus Ecclesie penitus illis interdicitur, & si per 6. menses immediate sequentes sub interdicto hujusmodi animo perseveraverint indurati, lapsis iisdem mensibus a regimine & administratione Ecclesie suae, vel Monasterii in spiritualibus & temporalibus eo ipso sunt suspensi, Praterea quod ab ipsis, uti & aliis beneficiatis facta alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conditio, in feudatio nullus sint roboris & momenti. Ita Paulus 2. in *Extrav.* sua *ambitiosa. inter communes. de rebus Ecclesie non alienand.* Lott. l. 3. q. 25. n. 2. dicens hanc poenam privationis esse latae sententiae, & qui in dicta *Extrav.* impeerint, censentur ipso jure privati beneficio. Castrop. tr. 13. de benef. d. 6. p. 2. §. 8. n. 14. qui tamen ait, ita esse, esto, in opinione plurium DD. ea recepta non sit, puta, poena vel *Extravagans.* Engels. ad tit. de rebus Eccles. non alienand. n. 18. idem monens ex Nav. istas poenas ipso jure incurrendas non ubique receptas esse; de quo vide dicenda ad finem hujus quaestionis. Azor. p. 2. l. 7. c. 17. q. 1. §. septimum crimen: qui tamen subjungit ex Cajet. in sum. v. excommunicatio. c. 75. & Armill. v. eodem. excommunicationem talibus inflictam non esse receptam ubique; & alibi, non ex toto, sed ex parte tantum, ut ex Rocho de Curte c. ult. de consuet. esse consuetudine abrogatam.

2. Verum circa haec notandum primò: ad incurrendam dictam poenam requiri alienationem cum effectu sumptam; si nimirum res Ecclesie de facto sit emptori tradita, Engels loc. cit. adeoque ab impetrante justificandum factum alienationis, hoc est, actum, per quem translatum fuit dominium; quale non est venditio secundum se solam; adeoque hanc justificare non sufficit; sunt enim

haec duo compatible; aliquid esse venditum, & nihilominus non esse translatum dominium illius in emptorem; venditio siquidem & similes contractus, sunt quidem causae transferendi dominium, sed non concludunt ad ipsum actum translationis; qui perficitur ex traditione rei, juxta l. tradit. c. de pactis. ita tamen ut nec nuda traditio aliquid operetur, nisi praexistat causa seu titulus habilis ad transferendum dominium. l. nusquam. ff. de acquirend. rerum dominio. Lott. loc. cit. à n. 3. qui etiam subjungit n. 8. non esse proinde in casu hoc inconsiderabilem clausulam constituti (de cujus vi & effectu vide Barbof. de clausulis.) eo quod tamen habet vim traditionis pro acquirendo dominio & possessione; quia tamen id procedit per fictionem quandam, non esse secundum rei veritatem, ut Menoch. consil. 792. nu. 3. Barb. loc. cit. quae ficta traditio, ut concernit jus, quod venit secundum naturam contractus, seu ut Barbof. traditionem juris, non autem factum, in quo praesumitur executio obligationis, seu traditionem facti, ita ut non attendenda pro incurfu dictae poenae, cum adhuc actus reputetur imperfectus.

3. Secundò: quod hinc sequitur, ad effectum incurrendi dictam poenam non sufficere rem Ecclesie datam in hypothecam; licet enim prohibita alienatione, censetur quoque prohibita hypotheca, qua ad alienationem devenitur, uti id in terminis citata *Extravag.* est indubitatum) id tamen intelligitur respectu validitatis actus, quo datur res illa in hypothecam, qui non minus, quam actus venditionis prohibetur & annullatur, in dicta *Extrav.* non autem respectu istius poenae, idque sive hypotheca sit generalis, sive specialis; sicut enim differt vis legis, qua punit, à virtute legis, qua prohibet; ita ab una ad alteram non rectè infertur, ubi diversa incurrit ratio; siquidem ubi agitur de puniendo ob alienationem, verbum alienationis sumitur strictè & proprie; & sic pro translatione dominii, ut Alex. consil. 41. n. 5. & 7. vol. 6. Bald. in l. final. c. de rer. alien. n. 1. Castrenf. n. 3. & DD. communiter. ita ferè Lott. loc. cit. à n. 13.

4. Tertio; requiri, ut, praterquam, quod res illa sit ad decorem & illustrationem Ecclesie, vel ex qua ministri alimenta percipiunt, ut meminit & supponere videtur dicta *Extrav.* in principio in ipsa periodo actus alienationis sub dominio Ecclesie; si enim tunc de facto jam fuisset alienata, & praelatus seu Rector ex suppositione invaliditatis actus, aut rei devoluta ad novam concessionem procederet, utcumque actus ille, qui sustineri posset quasi ex solito, seu quia tales res solita fuissent alienari, nullus foret; eo quod negaretur illud solitum; adhuc tamen posita illa nullitate non infertur necessariò ad statum rei concessa; nempe quod ea tempore concessionis esset in dominio Ecclesie vere & realiter, & in consequens esse locum dictae poenae. Lott. à n. 18.

5. Quarto; satis non esse, quod bona illa quomodocunque spectent ad Ecclesiam, sed requiri ut bona illa sint actu incorporata Ecclesie, mensa capitulari, conventui &c. non enim aliter constitui possunt in dominio Ecclesie (intellige, in ordine ad prohibitionem alienandi, & ex ea incurrendam dictam poenam, quam per incorporationem, Lott. loc. cit. n. 21.) bona enim legata, donata Ecclesie vel aliter ab ea obrenta (etiam ea, quorum Ecclesia non habet nisi dominium directum, dum ea ex causa aliqua quoad dominium quoque

utile revertuntur ad Ecclesiam, quamdiu ea incorporata non sunt eidem Ecclesie; quod ipsum pendet & colligitur ex circumstantia facti, maxime ex declaratione Prælati factâ, quod ea nolit incorporare suæ mensæ. Tond. paulo post citand. n. 3.) quamdiu non sunt incorporata illi, alienari possunt sine solemnitatibus aliis de jure requisitis. Tond. in resp. benef. p. 3. c. 87. n. 1. citans Franch. decis. 14. n. 16. & AA. passim in c. ut supra. de bonis Eccl. non alien. de quo vide Barb. in c. nulli. n. 9. eodem tit. Quamvis subjungat Tond. loc. cit. n. 5. de bonis noviter acquisitis Ecclesie, veluti ex donatione, legato, hæredis institutione, aut alio simili titulo dubitari posse, an sint de mensa, & consequenter inalienabilia; an verò nondum unita mensæ, adeoque quia in tutiorem partem fieri debeat interpretatio, sanum esse consilium, ut non alienentur sine solemnitatibus, ut Innoc. Abbas in c. ut super. Mascard. de probat. conclus. 203. n. 6. & 7. & se, ubi non adesset necessitas, non audere consulere; eò quod, qui donat Ecclesie, aut eam hæredem relinquit, non aliâ intentione donet, quam ut ea bona incorporentur Ecclesie; Incorporatio autem illa non censetur facta, dum capitulum vel ejus Superior declaravit, se nolle ea incorporare. Tond. l. c. n. 2. citans Redoan. de bon. Eccl. non alienand. q. 62. Imò non cessatur facta dicta incorporatio ex retentione illorum bonorum per annum, sed tunc demum, & non aliter quam per declarationem, sive explicitam, sive implicitam ex descriptione illorum inter alia bona Ecclesie. Lott. nu. 22. citans eundem Redoan. rubr. 1. c. 22. n. 29. Bart. in l. si vacantia. n. 8. c. de bonis vacantibus.

6. Quintò: locum non esse pœnæ isti, vel etiam Extravaganti quoad prohibitionem, si res Ecclesie sint tales, ut ex illis commodum nullum perciperet aut percipere possit, v. g. quia essent terrule, de quibus canon. terrulas 12. q. 2. de quibus vide etiam C. de Luca de benef. d. 86. n. 8. concurrentibus juxta dispositionem dicti textus hinc quatuor: necessitate præcisâ, exiguitate prædii, infructuositate, & longâ distantia, ut nequeant commodè ad cultum redigi. Lott. n. 23. & 25. vel si urgeret necessitas, & non posset peti vel expectari à Papa licentia, Lott. n. 24. qui etiam n. 26. ait, arbitrari se, hinc declarandam sententiam aliquorum, puta Navar. conf. 7. de rebus Eccl. non alienand. Sayr. in florib. eodem tit. dub. 3. Barbol. collectan. ad cit. Extrav. ambitiosa. n. 30. existimantium, incurri hanc pœnam privationis beneficii ex incisione arborum frugiferarum; nimirum ut regulentur circumstantiâ facti; videlicet intentione succidentis, ut si illa sit ad minuendum in perpetuum redditus Ecclesie pro implenda alienantis crumena in præjudicium suorum successorum ex valde notabili incisione incurratur dicta pœna; secus si succissio ea facta intentione bonâ, puta substituendi alias arbores meliores, aut alia de causâ legitima, quorum plures vide apud Mantican. de tacitis & ambiguis contractib. l. 12. tit. 29. à n. 27.

7. Sextò: non esse locum dictæ pœnæ, dum alienatio non fit de solo, seu bonis Ecclesie, sed de melioramentis, quæ ipse Rector Ecclesie seu beneficii fecit, eò quod hæc melioramenta non veniant sub prohibitione alienandi. Card. de Luca de benef. disc. 86. n. 9.

8. Septimò: non esse locum extravaganti in ceteris casibus & bonis, in quibus ea licitè sine

solemnitatibus alienari possunt, puta, in bonis, quorum Ecclesia habet dominium utile; & dum nimirum Ecclesia tanquam manus mortua cogitur à domino directo bona noviter obtenta vendere: de quo vide Tond. loc. cit. n. 11. An verò per transactionem bona Ecclesie alteri remitti possint, & consequenter in eo evitetur dicta pœna, merito dubitatur à nonnullis, & sentire videntur Nav. conf. 44. l. n. 21. Alciat. conf. 17. n. 8. l. 1. apud Tond. n. 9. eò quod non dicatur alienarum, quod penes ad verfarium dimittitur, & nunquam fuit ab Ecclesia possessum; ait tamen Tond. ipse, hanc sententiam esse contra mentem Rotæ, eò quod, quidquid sit de patre, qui est legitimus administrator bonorum filii, quando agitur de tutore vel Prælato, qui non habent tantam potestatem, non possunt transigere, dimittendo rem apud possessorem, nisi servatis juris solemnitatibus; citat pro hoc Surd. conf. 451. n. 25. Gratian. disp. for. c. 476. n. 16.

9. Octavò: notandum circa illud, quod in dicta Extrav. dicitur, non esse locum prohibitioni isti, & pœnæ, dum res aliqua ab antiquo tempore esset solita concedi vel dari in emphytheusim, illud solitum aliter constitui non posse, quam vel ubi præcessit una concessio valida, vel existant duæ cum cursu quadraginta annorum, juxta Seraph. decis. 434. n. 1. ita ut excludatur hic numerus duarum concessionum ex identitate personæ, quâ posita, una tantum concessio reputatur: & è converso cursus ille quadraginta annorum nihil operatur, si ea formæ differant; siquidem alienationes rei Ecclesiasticæ debent esse conformes pro continuande cursu quadraginta annorum. Lott. à n. 19. Vide de hoc Tond. p. 1. c. 119. à n. 12.

10. Nonò: Dum dicitur in cit. Extrav. non posse locari res Ecclesie ultra triennium, triennium non esse computandum ratione annorum, sed ratione fructuum, hoc est, bona Ecclesie non esse locanda ad tempus, in quo percipiantur plures fructus quàm triplices. Hinc si res Ecclesie non nisi alterius annis fructus reddit, potest ad sexennium locari; si tertio solum anno fert fructus, potest ad novennium locari; si autem singulis annis fert fructus, non potest nisi ad triennium locari. Azor. p. 2. l. 7. c. 17. q. 1. § ego in alia.

11. Denique notandum, secundum aliquos debere justificari ab impetrante ex hoc capite Extravagantem illam: ambitiosa, esse receptam in loco, ubi facta alienatio; idque plurimum momenti habere tam in foro interno, quàm externo secundum Nav. in man. c. 27. n. 150. Molina. de contr. tr. 2. d. 466. n. 9. Gutt. qq. can. l. 1. c. 8. n. 7. & alios apud Garc. p. 2. c. 1. n. 87. Lott. n. 38. & 39. à quorum sententia quamvis Lott. n. 40. dicat se prorsus recedere; eò quod fundamentum illius, nempe quod lex usu non recepta non fit lex, valeatque contrario usu seu consuetudine abrogari, sit absurdissimum, dum agitur de lege Papæ, qui non à populo, sed à Deo immediatè in his Ecclesiasticis potestatem habet; ut ideo nec per mille annos extinguatur ejus vis per usum in contrarium, impertinensque sit hæc istorum AA. deductio, cum ista sanctio reperitur impressa in volumine canonico, cum quo ubique locorum circumfertur. Nihilominus n. 42. ait idem Lott. se existimare, propter materiam objectæ odibilitatem in foro externo, si ex parte rei probaretur non usus dictæ Extravagantis, & positivus usus in contrarium, eum satis excusari, cum hujusmodi legis non

non usus, utcumque aliis non allegabilis pro evitanda dispositione, excuset tamen pro evitanda poena ipsius legis juxta doctrinam Bart. in l. 1. §. apud Labionem. n. 1. ff. de editi edict. Surd. cons. 327. n. 51. Gutt. loc. cit. quos citat ibid. Lott.

Quaestio 200. An, & qualiter ob simoniam mentalem & conventionalem infligatur privatio beneficiorum?

1. **R**espondeo primò in genere, veluti prænotando, nullam simoniam inducere poenas juris ipso facto, nisi quæ committitur in ordinibus, beneficiis, Religionis ingressu. Castrop. de simon. d. 3. p. 21. n. 2. citans Suar. de simon. l. 4. c. 55. n. 5. Ugol. tabul. l. c. 12. & l. 4. c. 3. Navar. &c. Less. de just. l. 2. c. 35. nu. 130. citans Sylv. V. simonia. q. 19. &c.

2. Respondeo secundò: Simoniam mentalem, hoc est, quæ abique externo aliquo contractu, pacto tacito vel expresso committitur, nequidem in dictis tribus ordine, beneficio, ingressu religionis poenas ullas juris inducere. Less. loc. cit. ex communi DD. adeòque nullum ob eam commissam, ne quidem beneficio, circa quod committitur, privari, nec ipso jure, nec per sententiam. Azor p. 2. l. 7. c. 27. §. si quis ar. citans Gomef. ad reg. de trien. poss. n. 12. Proceduntque hæc ipsa, sive simonia mentalis sit purè talis, sive mixta; dum nimirum datur aliquid cum intentione obligandi ad reddendum spirituale sine ullo pacto externo.

3. Respondeo ad secundum primò: Simoniam conventionalem nullatenus inducere vacationem obreoratorum ipso jure, Gonz. Gl. 15. n. 70. citans Put. decis. 8. l. 2. Caputaq. decis. 3. de simon. Sed neque privatur quis ex inde beneficio, super quo commissa. Azor. loc. cit. (licet dicat privari illo per sententiam) citans Gomef. ubi ante. Less. l. c. n. 149. ubi quòd nulla simonia conventionalis, excepta confidentiali purè, hoc est, quæ fit in mutua conventionione, & neutra ex parte completur per dationem: vel etiam mixta, in qua darum quidem est pretium, sed nondum data res spiritualis, inducat illas poenas juris politici. citatque pro hoc Navar. de simon. c. 23. n. 104. ac dicens esse ferè communem DD. præsertim recentiorum. Idem de simonia hac incompleta adhuc ex utraque parte quoad executionem, nimirum non incurri propterea excommunicationem, nec ullas alias poenas latas contra simoniacos, tradit Tond. qq. benef. p. 3. c. 90. n. 10. ex Sanch. consil. moral. l. 2. c. 3. dub. 106. n. 4.

4. Respondeo ad secundum secundò: ob simoniam conventionalem illam mixtam, in qua res spiritualis est tradita, v.g. beneficium collatum, resignatum, & pretium nondum solutum, induci poenas omnes juris, perinde ac si utrimque completa esset, seu ac si simpliciter realis esset, eò quòd emptio & venditio videatur perfecta, quando res est tradita, etsi pretium nondum solutum, censent præter alios Sotus, l. 9. q. 8. a. 5. Cajet. in sum. 7. Simonia, apud Less. loc. cit. Contrarium, nimirum simonia poenas non incurri, sentiunt Less. l. c. citatque ab ipso Covar. in Clem. si furiosus. p. 1. §. 1. n. 7. & p. 2. §. 3. n. 4. Ugolia. Nav. &c. Item Sanch. loc. cit. apud Tond. loc. cit. & alii plures, eò quòd juxta stylum Curia Romanæ, de quo testantur Sanch. Navar. &c. non censentur incurse poenas, nisi per simoniam realem utrimque com-

P. Lauren. Fori Benef. Tom. III.

pletam, non obstante Bullà Pii V. hac de re edita, quæ non videtur recepta, ut Less. Cujus hæc videtur ratio, quòd poenæ, præsertim graves, ipso facto incurrendæ, quantum fieri potest, sunt restringendæ: ac proinde poenæ iis constitutæ, quæ spiritualia emunt ac vendunt, restringendæ ad emptionem & venditionem completam (qualis non magis est, quando res est tradita, & nondum solutum pretium, quam quando solutum pretium, & res nondum tradita; Less. n. 150.) nisi expressè contrarium significetur. Sentit tamen Less. n. 151. cum Nav. de simon. c. 23. n. 104. testante sic servari de stylo Curia & aliis, quòd si dicta simoniaca pactio postmodum utrimque compleatur in totum vel in partem (intellige pretii solvendi) incurrantur non tantum poenæ, sed retrahantur ad tempus pactionis: v.g. collator convenit cum Petro de centum aureis de dando illi beneficio, & statim confert; Petrus nondum solvat pecuniam promissam, neuter illorum adhuc incurrit poenas juris, nec collatio est irrita; postea tamen post menses, vel etiam annos aliquot Petrus solvat pecuniam, jam incurfa censèbitur excommunicatio ab utroque, & inhabilitas à Petro ab initio contractus, & contractus & collatio censèbitur irrita & invalida; & sic collatio, excommunicatio, inhabilitas pendebant ab eventu futuro, ita ut ante hunc collatio sit pendens, habeatque se veluti medio modo & indifferenti, neque absolùtè valida, neque invalida. Less. n. 152. id ipsum variis exemplificans v.g. in excommunicatione lata contra eum, qui pensionem beneficiale non solvit; quæ etsi sit lata sententiæ, non tamen censètur incurfa, nisi pensionarius declaret se velle, ut sit incurfa; quæ posita declaratione retrahitur, ita ut censètur incurfa jam ab initio, quo cœpit alter esse in mora, juxta Nav. sup. & Gig. de pension. §. 77. Item in emphytheusis amissione incurfa ob non solutam intra triennium pensionem; ita ut, si Dominus directus declaret, se velle, ut res illa sit amissa, censètur esse amissa ab initio completi illius triennii. Unde jam etiam inferitur primò, talem non teneri dimittere beneficium; quia collatio non est absolùtè irrita, sed aliquo modo valida; etsi ab eventu futuro, quo posito ea resolvitur ab initio, & tenebitur ex tunc positi eventus dimittere beneficium. Lott. n. 153. Secundò: ante completam pactionem per solutionem pretii celebrantem non incurrit irregularitatem; ad hanc enim incurrendam ob violationem censuræ requiritur, ut antè censura sit absolùtè incurfa. Less. cit. n. 153. Etsi de cetero hæc retrahitio faciat, ut, si interea collatum sit aliud beneficium, collatio sit invalida, ac si reverà jam tum fuisset excommunicatus & inhabilis, quia hæc acquisitio beneficii pertinet ad lucrum; irregularitas illa ad damnum; plus autem requiritur ad damnum incurrendum, quam ad lucrum non reportandum, Less. n. 154. Veruntamen neque hæc retrahitio facta per quandam fictionem juris locum habet in foro conscientia secundum aliquos, Less. n. 155. dicens hanc sententiam insinuari ad Nav. c. 23. n. 104. & doceri ab Henric. de excom. c. 19. & sibi non displicere; quæ si vera, in foro conscientia non censèbuntur incurse poenæ simonia, nisi à tempore, quo hæc completur, nec retrahentur, adeòque non tenebitur talis restituere fructus interea perceptos, nec censèbitur fuisse inhabilis interea ad alia beneficia.

H 3

§. Respon-

5. Respondeo tertio: Qui beneficium confert alteri, vel procurat per simoniam realem (quam consistere seu consummari in actu illo, quo recipitur in executionem pacti precedentis illud, quod promissum fuit, ait Lott. l. 3. q. 29. n. 140. & 151. five quando processum est ad executionem conventionis, vel traditionem pretij, ut Tond. 99. benef. p. 3. c. 90. n. 4. Et quidem ad hoc, ut simonia sit realis, nimirum in ordine ut beneficium vacet ipso jure, necesse esse, ut ab utraque parte adimpleatur, & non sufficere, si ab una tantum parte adimpleatur, tradit Gonz. Gl. 15. n. 69. juxta decis. Rota 405. p. 1. divers.) procurando suffragium electoris, eligendo, presentando, postulando, instituendo, confirmando, commendando, &c. et si hoc ipso incurrat diversas poenas: puta excommunicationem ipso facto, à qua non nisi à Papa absolvi potest, Extrayag. cum detestabile, de simonia, Lott. l. c. n. 147. Less. loc. cit. n. 137. Castrop. de simon. d. 3. p. 25. n. 2. quam eandem excommunicationem ipso facto incurrunt mediatores, ut sunt parentes, amici, procuratores, & omnes, qui operam interponunt, ut beneficium simoniace obtineatur. Castrop. ibid. Less. loc. cit. n. 140. hæc tamen non incurritur à committentibus simoniam circa officia ecclesiastica, pensiones, Vicarias temporales, & similia, quæ beneficia non sunt, conferendo, procurando. Less. n. 137. Castrop. l. c. n. 1. addens sic officium Inquisitoris, Legati, Vicarii, &c. absque aliqua poena permutari, vendi, aut emi posse, et si non absque peccato; & secus esse de Prioratu, Provincialatu, Rectoratu, eò quòd hæc dicantur saltem quasi beneficia, & de iis expressa fiat mentio in Extray. 2. de simonia. Item infamiam. c. reperuntur, l. q. 3. Lott. n. 148. suspensionem, c. veniens, de simon. Lott. n. 143. Item dejectionem à proprio gradu, c. si Episcopus, l. q. 1. c. ex multo, l. q. 3. Lott. n. 144. Unde & deponi jubentur, Gl. in cit. c. si Episcopus, v. suspendatur, Lott. n. 146. Et si inquam, has poenas incurrant, non tamen privantur ipso jure beneficiis, quæ obtinent; cum hæc vacatio ipso jure nullibi ob dictam causam inducta legitur. Lott. n. 140. & 150. qui etiam n. 155. id adeò verum esse ait, ut licet ex decreto Trid. sess. 24. c. 18. Examinatores, qui occasione examinis habitus in concursu ad parochiales ante vel post aliquid receperint, simoniam incurrant; unà cum ipsis dantibus, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodolibet, etiam ante obtinebant (quin & ab ipsis illis beneficiis maneat ipso jure suspensi, ut Lott. n. 158. citans Navar. conf. 63. nu. 1. Paris. de confidentia. q. 48. n. 5.) & ad alia impostero in habiles reddantur: nihilominus ante dimissionem non possit videri inducta vacatio quasi ex sententia dicti Canonis Trid. qui hoc in specie decernit, pro quo citat seipsum l. 3. q. 18. n. 202. & 203.

6. Respondeo quarto: Sed & qui beneficia per talem simoniam realem acquirunt, licet pari modo ipso facto incurrant excommunicationem, sitque omnis talis collatio & provisio irrita & nulla ipso jure per jam dictam Extray. cum detestabile. Castrop. loc. cit. n. 2. & 3. Less. loc. cit. Azor. p. 2. l. 7. c. 17. q. 1. §. olim crimen. Et licet antiqui canones, ut voluit Rebuff. in pr. tit. de simon. in resign. n. 6. Paris. de resign. l. 7. q. 2. n. 12. Gutt. 99. can. l. 1. c. 9. n. 3. & alii passim videantur poenam hanc privationis beneficii obtenti simoniace non tam induxisse ipso jure, quam mandasse so-

lùm, privari talem simoniacum; id tamen referri debet ad privationem de facto; quia ex suppositione hujus delicti lex ab initio resistit acquisitioni, ita ut illa nunquam ad valorem asurrexerit, Lott. loc. cit. à n. 156. Et quidquid sit de eo, quòd olim tali simoniaco occulto non adimebatur beneficium illud simoniace obtentum, hodie etiam occultus ipso jure privatus existit tali beneficio. Azor. l. c. §. item olim. Idque verum, etiam si simonia commissa à tertio. Castrop. loc. cit. n. 3. cuius tamen limitationem vide apud eundem. Licet etiam ad beneficium illud simoniace obtentum sit inhabilis, etiam si, qui obtinuit illud, simoniam ignoraret, Tond. in 99. benef. p. 1. c. 97. n. 16. Less. l. c. n. 139. quos vide. Item ad alia obtinenda, dum simonia sciente illo commissa. Castrop. loc. cit. n. 7. ubi etiam juxta constitutionem Pij V. dicit, hanc inhabilitatem incurri ipso jure; contrarium, nimirum eam non incurri ipso jure, tenente Navarro. conf. 92. de simon. Suar. Less. eò quòd dicant, dictam constitutionem hac in parte non esse receptam. Quinimo licet etiam talis quoad alia beneficia jam præhabita citra simoniam sit ipso jure suspensus; & si est manifestus simoniacus, tanquam infamis, iis sit privandus, ut Azor l. c. §. queres, non tamen ipso jure vacant alia ejus beneficia; quia nusquam respectu illorum jam legitime obtentorum inducta illa privatio ipso jure. Azor loc. cit. Lott. l. c. n. 161. citans Innoc. in c. inter dilectos, n. 1. de excess. pralar. Selv. p. 3. q. 2. n. 34. Navar. conf. 62. n. 2. Castrop. de benef. rr. 13. d. 6. p. 2. §. 8. n. 7. Item de simon. d. 3. p. 25. n. 4. citans Ugolin. de censur. tab. 4. c. 6. n. 3. Suar. l. 4. c. 58. n. 6. Rodriq. to. 2. in sum. c. 56. n. 6. Tond. loc. cit. n. 21. & 22. ubi ait: Veritas est, quòd stante Bulla Pij IV. & Pij V. quæ receptæ sunt in Gallia, simoniacum omnibus beneficiis privari, etiam iis, super quibus nulla simonia commissa (modò tamen simonia sit vera, & non interpretativa v. g. si pater, ignorante filio, in procurando ei beneficium simoniam commisisset) & quidem in tali vera simonia locus est privationi ipso jure, quoad beneficium, super quo simonia commissa; quoad alia verò verius est, non induci privationem ipso jure, &c. uti eandem sententiam docent plures alii apud Garc. p. 8. c. 1. n. 5. contra eundem Garc. Quin & ut ait Lott. n. 162. verius est, in articulo privationis beneficiorum sine vitio obtentorum nihil unquam decrevisse canones antiquos; adeò que ruit fundamentum Garcia, nimirum, quòd licet olim non nisi per sententiam immineret privatio beneficii ritè præhabiti, per dictam tamen Extray. omnes poenæ, quæ incurrebantur ex sententia, inflicta fuerint ipso jure. Unde jam inferitur primò, fructus beneficiorum obtentorum ante simoniam commissam, non esse ipso jure restituendos post admissam simoniam; habito enim & retento jure in illis beneficiis, haberet & jus in illis fructibus perceptis. Castrop. loc. cit. n. 5. citans Suar. l. 4. de simon. c. 58. Et si iis per sententiam privari possit, non quia percepti post simoniam commissam; sed quia pro delicto simoniaco imponi potest etiam multa pecuniaria, Castrop. ibid. in quo casu sententia terminari debet ad ipsos fructus; nec sufficit, esse condemnatoriam & privatoriam beneficiorum, quia sunt distincta fructus & beneficia. Castrop. & Suar. II. citat. Secundò: dum electus vel presentatus committit simoniam pro confirmatione vel institutione non exinde annullari ipso

ipso jure electionem vel presentationem ritè factam. Castrop. *loc. cit.* n. 6. Less. *l. c.* n. 138. Suar. *l. c.* n. 6. licet electio illius, qui pro illius confirmatione simoniam admisit, veniat irritanda. Castrop. *ibid.* citans Ugolin.

Quaestio 201. An & qualiter vacent beneficia ob simoniam confidentialem, seu crimen confidentiae?

Respondeo: primo loco praenotandum, de quo alias pluribus, confidentiam beneficiale aliam esse licitam, dum nimirum quis ordinatè confidit conferendum sibi vel fratri, vel alteri consanguineo beneficio, dignis tamen & modo debito. Paris. *de confid. benef.* q. 1. n. 20. citatis plurimis. Aliam illicitam, dum quis inordinatè confidit, quòd collator conferet, aut alius resignabit beneficium sibi aut alteri indigno, vel contra modum & formam. Paris. *ibid.* n. 23. ex D. Thom. in 4. sent. dist. 25. q. 2. & 2. q. 62. a. 7. Hæc confidentia illicita alia est non simoniaca, alia simoniaca. Non simoniaca est, dum quis inordinatè confidit, nimirum, quòd collator conferet beneficium ob parentelam, vel servitium, vel amicitiam indigno sine tamen preteriti pacti, modi, vel conditionis interventus; Paris. *loc. cit.* n. 24. & 25. ex D. Thom. ubi ante, Navar. c. 23. n. 109. de simonia. Verùm de hac confidentia non procedit quaestio. Alia simoniaca, seu species simoniae, nempe conventionalis, ut Paris. *de confidentiis.* q. 58. n. 3.) quam relatis & rejectis aliorum definitionibus sic describit Paris. *l. c.* n. 49. Quòd sit quaedam spes, quòd collator conferet, patronus praesentabit, eligens eliget, aliquis resignabit beneficium modo vel conditione expressa vel tacita sibi vel alteri v. g. dum quis accipit beneficium per resignationem, collationem aut aliter, & promittit se velle illud retrocedere vel resignare certis temporibus conventis, vel promittat fructus aut pensiones. Vide Paris. n. 50. hanc definitionem pluribus explicantem.

2. Respondeo secundò: Confidentia hæc simoniaca subjacet poenis & censuris, etsi nondum sit completa; ut patet ex verbis constitutionis Pij V. ubi: *etiam sola dimittentis intentione receperit.* Tond. in qq. *benef.* p. 3. c. 90. n. 11. citans Bonacin. *de simonia.* d. 1. q. 7. p. 1. §. 1. n. 4. Sanch. *consil. moral.* l. 2. c. 3. dub. 106. n. 5. Paris. *de confidentiis.* n. 150. ubi ait, confidentiam adimpleri per solam promissionem, & sic interpositionem fidei, cum tota in spe posita sit, & n. 159. ubi, quòd eo ipso, quòd quis accipit beneficium in confidentiam, antequam impleat, quòd promissit, est ipso jure excommunicatus; & collatio ei facta ipso jure nulla, & tenetur restituere omnes fructus perceptos.

3. Respondeo tertio: Confidentia simoniaca (eo ipso nimirum, quòd quis accipit beneficium in confidentiam, ut Paris. *de confid.* q. 1. n. 159.) praeterquam, quòd inducat utrique parti contraheutum ipso facto excommunicationem reservationem Papæ, Castrop. *de simon.* l. c. n. 8. Less. *cit. c.* 35. n. 147. Paris. *de confident.* q. 58. per tot. quem vide. Item juxta eundem Paris. *l. c.* q. 61. irregularitatem ad illud beneficium, super quo commissa hæc simonia, & cetera omnia obrinenda. Castrop. Less. *l. c.* Item reservationem istius beneficii, in quo hæc confidentia commissa, ita ut alius praeter Papam non possit se in provisione il-

lius immiscere: Castrop. Less. *l. c.* & consequenter, si successor talis confidentialis simoniaci illud obtinuit ab alio, quàm Papa, non obtinuit illud canonicè; adeòque possit eo privari, nisi fortè per triennium fuerit in pacifica possessione. Less. remittens ad se ipsum. c. 34. dub. 9. praeter has inquam, poenas inducit quoque privationem beneficiorum, super quibus commissum hoc crimen. Castrop. Less. *l. c.* Paris. *l. c.* q. 58. n. 1. sic expressè statuentibus Pio IV. in Constitut. sua Romanum. 109. in Bullar. Pio V. in Constitut. sua: *intolerabile.* 87. Et quidem ipso jure, sive facit, ut quæcunque illius provisio sit ipso facto irrita, & profrus nulla; etiam ante implementum illius, quòd à collatorio vel resignatorio promissum, AA. iidem. Paris. n. 10. contra Caputaq. *decis.* 201. p. 1. censentem solum esse privandos, eò quòd crimen confidentiae non sit nisi simonia conventionalis, propter quam hæc poena non infligitur ipso facto. Exprimè id ipsum apertè Pius IV. in constitut. sua, ubi ait: idcirco omnes & singulas Ecclesias etiam metropolitanas, & alias cathedrales ac monasteria etiam consistorialia, Prioratus, Praeposituras, dignitates, etiam majores ac principales, etiam conventuales, &c. ipso jure à die receptionis eorundem vacavisse & vacare. &c. & Pius V. in sua constitut. ubi: *ut ipso facto vacarent Ecclesie, monasteria, ceteraque beneficia Ecclesiastica in confidentiam à quibuscunque etiam S. R. E. Cardinalibus &c. accepta.* Atque ita nulla, quoad hanc poenam privationis incurrendam est differentia inter simoniam realem & hanc confidentialem. Paris. n. 11. Et quia peior est omni alià simonia conventionali (per quam, ut dictum, non annullantur actus, seu incurritur hæc privatio, nec censura alia, usque dum ab utraque parte completa est, & sic ex conventionali evadat realis) gravius punitur. Paris. n. 19. qui etiam q. 1. de confident. n. 160. dicit, idèo hoc crimen puniri gravius, quia plurimum frequentabatur ante Pium IV. & ratione frequentationis delictum reputari gravius. citat pro hoc Imol. in *Clem.* 4. de sepul. Gemin. in c. 1. de vita, & honest. clericorum &c. Unde jam tenebitur confidentiarius talis illud beneficium in foro conscientiae dimittere, nec poterit illud resignare vel permutare, etiamsi nulla sententia declaratoria praecessisset; quia nunquam in eo fuit intulatus, dum ipso jure omnis ejus affectio & possessio annullata. Paris. n. 15. & seq. & n. 22. poteritque illud beneficium, stante hac privatione, conferri alteri, praesentari vel eligi ad illud alius. Paris. n. 18. citans Abbat. in c. 2. Hojed. de jure patron. parte 1. c. 4. n. 7. Quin & posse parochianos se subtrahere ab obedientia talis confidentiarii, ait Paris. n. 19. ex Anchar. in c. ad Apostolica. de sentent. & rejudicata. Tiraq. & conductores rerum dicti beneficii, utpote vacantis ipso jure, cogi non posse ad solvendum tali beneficiario confidentiario, ut Paris. n. 20. citans Tiraq. in l. si unquam. v. reversurus. n. 36. c. de revocan. donat.

4. Respondeo quartò. Committentes simoniam confidentialem privantur non solum beneficiis, super quibus ea committitur, utpote in quibus jus nullum quæsierunt, sed etiam aliis ritè obtentis. Castrop. Less. *loc. cit.* Paris. n. 27. Quòd expressè constituit Pius V. in sua constitutione, proceditque id ipsum in dignitatibus etiam maximis, Abbatia, Praepositura, Decanatu, Episcopatu, Archiepiscopatu, ut iis priventur committentes hanc

simoniam confidentialem, Paris. n. 29. Incurriturq; horum beneficiorum & dignitatum privatio ipso jure absq; omni sententiâ; verbum enim *privamus*, quo utitur Pius V. est presentis temporis, adeoque inducit pœnam privationis ipso jure, & operatur, ut non requiratur sententia. Paris. à n. 31. dicens esse communioem omnium Doctorum, & pluribus id probans ex verbis dictæ constitutionis Pii V. Ex quibus infert n. 39. factis videri, hanc pœnam expressam; contra quod in oppositum afferri solet, privationem ipso jure non irrogari, nisi ea expressa sit. Contrarium nihilominus tenent Less. & Castrop. *ll. cit.* quorum hic etiam citat pro hoc Suar. *de simon. l. 4. c. 43. n. 13.* non teneri talem confidentiarium dimittere ista beneficia ante sententiam, saltem declaratoriam; eò quod pœna, quâ quis privatur re suâ jam possessâ, non debeat ante sententiam. Unde, si vera est sententia Paris. jam pari modo talia beneficia jam antè ritè obtenta, conferri poterunt, & deveniri ad electionem & præsentationem. Paris. n. 40. citans Abbatem *in c. 2. de feud. nor. 3.* Card. *in Clem. 1. de penis, n. 15. & c.* Quin & ut idem Paris. n. 41. collatio horum beneficiorum spectabit ad Sedem Apostolicam, non secus ac eorum, super quibus commissa est hæc confidentia. Incurrit etiam hanc pœnam privationis ipso jure beneficiorum prius obtentorum; item inhabilitatem; de qua paulò post, ceterasque pœnas, etiamsi iste contractus simoniae hujus confidentialis ex neutra parte compleretur sit quoad executionem, sequitur ex dictis antè *responsione secundâ*. Contrarium tamen tenet Less. *loc. cit. n. 148.* citans Navar. & dicens, colligi ex ipsâ Bulla Pij V. dum significatur beneficium debere esse simoniacè receptum. Idem cum Less. tenet Castrop. *l. cit.* dum ait, opus non esse, simoniam hanc compleri ex utraque parte, hoc est, ut beneficium datum in confidentiam iterum renuncietur; sed sufficit ut detur eâ conditione, ut resignanti denuo vel alteri resignetur, vel ejus fructus solvantur, & eâ intentione recipiatur. citat pro hoc Navar. *de simon. c. 43. n. 13.* Rodriq. *v. simonia, c. 56. n. 7.*

5. Respondeo quintò: Quemadmodum committentes hanc confidentiam privantur ipso jure beneficiis, super quibus ea commissa, & obtentis antea, ita quoque ipso jure sunt inhabiles ad alia obtinenda in futurum. Paris. *loc. cit. n. 43.* dicens esse communioem & receptam Doctorum sententiam etiam in praxi, ac citans pro hoc plures; eò quod id disertè exprimat Pius V. in constitutione sua. *S. Sed neque quisquam.* dum ait: *presentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles decernimus, &c.* quod ipsum verbum *decernimus* inducere jus novum, & declarare antiquum ait Paris. n. 44. citatis pluribus. Contrarium iterum tenente Castrop. *l. c.* quod nimirum hæc inhabilitas ad obtinenda postulet sententiam declaratoriam criminis juxta receptum usum. Idem ait Less. *cit. n. 148.* Unde jam tales comittentes confidentiam etiam ante sententiam declaratoriam commissi delicti, si vera est prior sententia, vel saltem post illam, si vera posterior sententia, non possunt præsentari, eligi, aut iis conferri beneficia; quia inhabilibus dari non possunt beneficia. Paris. n. 45. & 54. ita ut, si illis conferantur beneficia per ordinarios, vel etiam Sedem Apostolicam, collatio nulla sit non facta mentione de dicta confidentia, Paris. *nu. 47.* nisi fortè, qui commiserunt confidentiam, habeant di-

spensationem ad hoc, ut non obstante hac confidentiâ commissâ, impetrare possint deinceps beneficia. Paris. n. 52. Quam tamen dispensationem ex stylo Dataria non solere concedi ad retinenda beneficia, super quibus commissa hæc confidentia, ait Paris. n. 55. ac ideo, ut idem n. 56. Pium V. in constitutione sua 69. incipiente: *in sublimi.* edita ad reformandum officium pœnitentiariæ, voluit, ut simoniaciis realibus & confidentialibus non concedatur, ut possint retinere beneficia, super quibus commissa simonia. Quinimò in absolutio-nibus hujusmodi apponatur clausula; quod uterque ad beneficium, super quo commissa simonia, perpetuò inhabiles existant. Proceditq; id ipsum, non solum in simplicibus, sed etiam in curatis, dignitatibus, Personatibus, monasteriis, &c. eò quod Pius V. postquam *l. cit.* locutus de omnibus prædictis jam obtentis, subdit: *& ad futura inhabiles esse decernimus.* quæ verba referuntur ad omnia proximè expressa. Paris. n. 46.

6. Respondeo sextò: Quod dictum de beneficiis, idem dicendum de Personatibus. Paris. n. 77. Castrop. *l. c.* Less. *l. c. n. 147.* Item de fructibus, Paris. n. 61. dicens id intelligendū de reservatione fructuum reservatorum loco pensionis. Item de officiis Curia Romana, & aliis temporalibus, quæ dantur Cardinalibus, puta Vicecancellariatus, Camerariatus, Vicariatus, Pœnitentiariatus, & alia, ut Auditoriatus Rotæ, Scriptorum, Abbreviatorum, &c. Paris. n. 62. exprimuntur enim hæc omnia in dicta constitutione Pij IV. *cit. §.* ubi: *net non pensionibus, fructibus, officiis Curia Romana, & aliis officiis temporalibus privati sunt.* Ac deniq; beneficia, dignitates, &c. ob dictum crimen vacantia, referuntur collationi Papæ, ut Pius IV. & V. in suis constitutionibus, Paris. n. 66. Castrop. Less. *l. c.*

Questio 101. An igitur etiam confidentia illa simoniaca inducat quoque dictas pœnas statutas in dictis illis constitutionibus Pij IV. & V. dum solum utrimque tractatum & conventum sub confidentia v. g. de resignando vel conferendo beneficium, nulla prorsus adhuc secuto effectu, hoc est, absque eo, quod in vim confidentiæ secuta resignatio, collatio?

Respondeo: probabilius videri, quod non; si ve quod tractatus super confidentia non commissa realiter non sit punibilis dictis pœnis; v. g. si ante resignationem vel collationem factam partes agnoscentes turpitudinem hujus criminis recessissent à conventionem, lacerando etiam chirographum, si quod de super confectum. Paris. *de confidentiis benef. q. 39. n. 6.* Tondut. *in qq. benef. p. 3. c. 160. n. 13.* ex Nav. *consil. 48. de simonia.* & hoc ipsum velle videtur Castrop. supra. Constitutiones siquidem prædictæ loquuntur tantum in casibus, in quibus confectus actus, pura collationis, renuntiationis, ut ex earum lectura patet, adeoque cum non puniant conatum, standum est generalis consuetudini, quâ etiam in atrocissimis non puniuntur affectus, non secuto effectu. Paris. *loc. cit. à n. 7.* Proceditque hoc ipsum, etiamsi secuta resignatio, collatio, &c. sed purè & liberè; seu non in vim confidentia. Navar. *loc. cit.* Paris. *nu. 16.* Quinimò procedit, etiamsi post tractatum talem confidentialem resignatarius, vel alius pro eo tradidisset

didisset resignanti chirographum continens promissionem illicitorum; cum ex traditione illius scriptura non videatur consummata confidentia; cum id factum ad probationem promissorum: tradere autem scripturam pro probatione promissi, non est implere promissum: juxta quod Navar. in manual. c. 23. n. 105. Paris. n. 18. vide, & combina, quæ suprà dicta de alia simonia conventionali.

Quæstio 203. An, & quomodo constare debeat de simonia commissa, vel etiam in specie de hac confidentia simoniaca in ordine ad hoc, ut index possit judicare vel declarare, hoc crimen commissum, vel etiam in ordine, ut ex hoc capite beneficium impetrari possit?

Respondeo primò in genere: impetrandum beneficium collatoris ex hoc capite, quòd simoniacè contulisset, difficulter id ipsum probare posse; cum non solum teneatur justificare pactum, in quo substantiatur simonia, sed etiam & sanè manifestè in executionem illius collatorem recepisse id, quòd sibi promissum fuerat, juxta cap. de hoc autem de simonia. Ac proinde talem impetrandum judicio suo oleum & operam perdere ait Lott. l. 3. q. 29. n. 150.

2. Respondeo secundò: ad probandum simoniae crimen commissum requiritur plena & concludens probatio, dum agitur ad effectum privationis (secus tamen est, quoties ex hoc capite agitur ad repellendum aliquem, ab affectatione beneficii nondum obtenti; eò quòd tunc sufficiant probationes leviores. Paris. de confid.) quamvis aliàs agatur civiliter Paris. de confidentia. q. 64. n. 14. dicens esse communem citatis quamplurimis. Idem omnino quoad hoc dicendum est de confidentia. Paris. ibidem n. 13. & 15. & 34. dicens id ita receptum esse ex interpretatione & stylo Rotæ, ut ubi non adducitur talis plenè concludens probatio, Rota semper pronunciet, pro non commissa confidentia. Sic sufficiens in hac materia non erit probatio dictum unius testis cum fama. Paris. n. 20. aut etiam cum præsumptione, qua oritur ex dicto alterius, qui particeps fuit criminis. Paris. n. 21. Unde nec admittitur dictum focii criminis. Paris. n. 22. & eodem tr. q. 66. n. 21. veluti resignantis post resignationem dicentis, se resignasse sub quibusdam conditionibus & modis. Paris. n. 24. Nec sufficit fama publica juxta Rotam in Tullensi Parochialis. 28. Maii. anno 1593. Paris. n. 23. Neque sufficit, testes deponere, audivisse se dicentem Titium, se futurum gratum; quia verba istiusmodi generalia non probant simoniam; Paris. n. 25. citans præter decif. Rotæ Sotum de just. l. 9. q. 8. a. 5. concl. 3. Neque sufficit testes deponere de solutione facta resignanti; quia potuit resignatarius solvere ex alia causa, & non constabat de pacto. Paris. n. 27. juxta cit. Rotæ. decif. in Tullensi illa: aut etiam, si deponant de perceptione fructuum facta à resignante, probat confidentiam, nisi pariter deponant de præcedente conventionne; quia potuit ex alia causa resignatarius solvere illos. Paris. n. 28. Neque ex mandatis reciprocis colligitur confidentia; cum non constet de pacto; Paris. n. 30. Neque etiam constaret de simonia per supplicationem, in qua Titius petebat absolutionem ab ea; cum talis per hoc non videatur confiteri simoniam; quia præsumitur id factum ad cautelam, & tollendum scrupulum; quia bonarum

mentium est timere, etiam ubi non est justa causa. c. 2. de observat. jejum. Paris. n. 32. & 33. citans Nartam. conf. 161. n. 15.

3. Respondeo tertio: de cetero simonia admittit omnes probationum species. Paris. loc. cit. n. 11. Puta, per notorietatem, juxta cap. manifesta. 2. 41. Castrop. de simon. l. 3. p. 27. nu. 1. Paris. cit. q. 164. nu. 7. notoria enim & quæ aperta sunt judici non egent probatione. l. 1. ff. de restit. in integ. & l. si verò. ff. qui satis & c. Paris. n. 8. & 9. Per evidentiam factis; cum quis in crimine comprehenditur. Castrop. loc. cit. Paris. n. 12. Per confessionem partium, videlicet resignatarii, & resignantis probatur simonia & confidentia, Castrop. loc. cit. Paris. de confid. q. 68. n. 1. & 6. dicens esse communiorem. Lott. l. 3. q. 29. n. 68. ubi: confessio partis, si judicialis est, dubium non est, illam superfluere. Idque etiam si confessio facta in judicio criminali. Lott. loc. cit. n. 69. Castrop. loc. cit. quòd autem confessio resignantis præjudicet sibi & resignatario, colligitur à DD. de confessione facta in judicio. Paris. ibid. n. 14. citans plures textus, ac dicens ex Mascar. de probationibus. conclus. 348. esse communiorem, & ideo Nav. conf. 66. de simon. tradere, quòd confessio resignantis dicentis & publicantis, quòd in tractatibus de resignatione intervenerint illicita pacta simoniaca ac confidentialia, non probat confidentiam; quia emanavit extra judicium, & nullus, præter ipsum hoc testatur. Tradit quoque Lott. loc. cit. à nu. 70. non fore confessionem sufficientem, si non emanavit ab ipso principali, sed per procuratorem; cum ea præjudicare nequeat principali, cujus respectu semper dicatur confessio ficta, non vera; habendam tamen pro confessione ipsiusmet principali, si facta esset per nuntium, id est, per habentem mandatum certum ad confitendum vel faciendum aliquid sic & sic, ita ut videri possit organum mandantis, & ejus viva vox. De cetero confessio resignantis facta ante resignationem de confidentia nocet resignatario. Paris. loc. cit. num. 9. citatis pluribus Rota decif. contra quamplurimos alios. Confessionem verò resignantis post resignationem factam (etiam, dum illa confessio non tenderet ad commodum resignantis) non præjudicare aut nocere resignatario, si vè non probare nec simoniam, nec confidentiam, tradit Lott. loc. cit. n. 74. Paris. pluribus citatis. à nu. 21. juncto nu. 11. Idque etiam resignans post resignationem supplicasset pro absolutione sui à simonia, vel confidentia commissa cum resignatario. Paris. n. 23. Imò nec talis confessio, quæ fit petendo absolutionem, contra ipsum resignantem, probat simoniam vel confidentiam, Paris. n. 23. quamvis aliàs confessio resignantis, quancumque facta contra ipsum resignantem inducat effectivalem probationem. Paris. n. 12. citans C. Paris. conf. 58. nu. 8. vol. 1. Per famam, Per instrumentum, in quo adest promissio vel pactum, probatur confidentia, uti & alia simonia, Paris. de confid. q. 70. nu. 1. & 2. citans Sarn. decif. 4. l. 2. Mohed. decif. 124. Menoch. consil. 67. nu. 8. l. 1. Mascar. de probat. conclusionem. 1305. nu. 2. siquidem & alia crimina probantur per instrumentum; quoties delictum consistit in facto incorporato vel connexo ipsi instrumentum; ut in usura, hæresi. Paris. nu. 4. citans Clarum. l. 5. recept. sent. S. ulri. q. 54. & probatio per instrumentum dicitur propriè probatio c. forus. de verb. signif. Decius in rubric. de probat. ex n. 44. ac vera & firma, gl. in c. 1. de censibus. Paris. nu. 5. & 6. Quia

& in

& instrumentum habens sua requisita, dicitur probatio probata, & veritas evidens, non probanda. Bald. *consil.* 176. l. 1. Paris. n. 7. & probatio firmior probatione per testes l. *hac consultiſſima, c. qui testamentum facere poss.* item est probatio omnium probationum praestantissima, adeoque de sufficiente justificatione pacti simoniaci per publicum instrumentum, non est ambigendum. Lott. l. 3. q. 29. n. 75. Per literas alias resignatarii scriptas resignanti vel alteri. Paris. *de confid.* q. 69. nu. 2. juxta Rotam in *Mindoniens. Canonizat.* 25. Octob. 1551. teste Caputaq. *decis.* 212. si enim confidentia probatur per conjecturas & praesumptiones secundum *Extray.* Pii IV. & Pii V. sufficienter & literarum, quae satis clarè mentem nostram exprimunt. Paris. *loc. cit.* nu. 4. Nec obstat, quod delictum non probetur semipennis; id enim verum est, ubi delictum constat in facto separato à scriptura, ut homicidium, adulterium: secus, si consistat in facto conjuncto cum scriptura, ut haeresis, simonia, confidentia. Paris. n. 7. citans Clarum *ubi ante.* ac dicens, esse communioem in praxi receptam. Veruntamen debent literae tales, ut probent, esse recognita. Paris. n. 10. citans Card. Paris. *conf.* 54. n. 6. vol. 4. Item clara, secus est, si in cifra loquantur. Paris. nu. 12. juxta Rotam in *Britonoricens. commenda.* 12. Decembris. 1585. Per correſpectivitatē, hoc est, quando unus actus fit propter alium, ut si renunciasti beneficium mihi, & ego consensi in pensionem, vel aliam remunerationem in tui favorem feci coram eodem Notario, testibus, eodem die in continenti; facit enim hoc sufficientem praesumptionem simoniae. Castrop. *loc. cit.* qui etiam ex Paris. *de resign.* l. 4. q. 9. n. 9. ait, id non esse sufficientem probationem, si diversis temporibus fiat.

4. Per testes probatur confidentia, estque haec probatio naturalis, & congruit cum jure divino, & ob id aliis probationibus dignior & validior aestimatur. Paris. *de confid.* q. 65. n. 1. Non tamen probant in hac materia confidentia absque juramento, sub quo astringi debent à iudice, antequam perhibeant testimonium. Paris. n. 15. ex Gabriel. *conf.* 184. nu. 9. l. 2. debetque pars adversa citari in horum testium receptione. Paris. n. 18. ex eodem Gabriel. *loc. cit.* dicta enim testium pro nihilo reputantur, si pars, cuius interest, non fuit vocata. c. 2. *de testibus.* non tamen ea citatione opus est, dum iudex procederet ex officio, & sic praxis in hac materia observat in processu informativo. Paris. n. 19. ex Mascard. *de probat. tom.* 1. q. 87. De cetero opus non est testes citari ad perhibendum testimonium, sed sufficit, ut producantur ad iudicem. Paris. nu. 20. Nec opus est ad probandam simoniam & confidentiam, ut testes sint omni exceptione majores; sed sufficiunt etiam criminosi & alii inhabiles. Paris. *de confid.* q. 66. n. 6. citans Mascard. *de probat. conclus.* 1306. n. 16. Nav. *in man. c.* 23. n. 110. contrarium tenente Lott. *loc. cit.* n. 65. ubi: pro justificatione pacti simoniaci ex testibus, praeparandi testes, qui non pariantur exceptiones considerabiles, quales essent excommunicati, vel eodem crimine simoniae irretiti, vel instigatores. item contra alios, quos citat Paris. n. 4. Patet ex constitutione Pii V. §. *criminosi, & ceteri omnes &c.* Et sic in crimine simoniae quilibet persona indistinctè admittitur in testem, & exceptiones cujuscunque generis & qualitatis repelluntur, praeterquam capitalis inimicitiae & conspirationis. Pirh. *ad rit. de simon.* n. 28. argumento *cap. licet Heli. de simonia, &*

ibi. gl. Abbas. Felin. & DD. communiter; quia simonia, ut dicitur *dicto capite,* est majus crimen omnibus aliis (ob atrocitatem autem delicti licet quandoque transgredi jura, ut Innoc. communiter receptus in c. 1. *de confit.* referente Claro l. 5. *recept. sent.* §. 1.) & quasi majus haeresi, ad quam probandam quilibet persona, etiam criminoſa & inhabilis, admittitur. Paris. n. 7. Estque simonia & confidentia de iis criminibus, quae solent occultè committi; quoties autem sumus in istis criminibus, & veritas aliter haberi non potest, testes minus idonei fidem faciunt, c. *veniens il. 2. de testibus.* ratione enim difficultatis illi testes recipiuntur, qui alias à testificando rejiciuntur, ut Roman. *conf.* 76. uti ideo laicus, qui alias ad accusandum vel ferendum testimonium contra clericum non admittitur, in criminibus exceptis, ut sunt simonia, haeresis, crimen laesae majestatis, admittitur contra clericum, si bono zelo justitiae, non ex odio procedat. Pirh. *loc. cit.* citans Redoan. *de simon.* p. 4. c. 5. nu. 9. Abbi. Butrio. Felin. & DD. communiter in c. *de ceterum. testibus.* & in criminalibus admittitur minor 25. annis, meretrices, lenones, alii; que infames. Paris. n. 11. Non tamen ad probandam simoniam, & confidentiam admittitur haereticus Paganus, Judaeus. Paris. nu. 17. citans Gloss. in c. *si Dominus. de simon. v. Catholicus.* Redoan. *de simon. p.* 4. c. 5. n. 13. neque admittuntur excommunicati, quia *cit. c. Heli.* loquitur tantum de criminosis, non autem de excommunicatis, qui indistinctè repelluntur à testificando. c. *decevimus. de sent. excom. in 6.* nisi in casibus specialiter in jure exceptis, ut quando agitur criminaliter in crimine laesae majestatis & haeresis. Pirh. *loc. cit.* n. 49. citans Abb. in c. *Heli. n.* 10. neque admittuntur indifferenter criminosi omnes in simonia, sed solum habentes qualitates requisitas in c. *per tuas. de simon.* quia unum crimen exceptum est magis privilegiatum quam alterum. Pirh. *loc. cit.* citans Abb. in *cit. c. per tuas.* n. 6. Neque etiam admittuntur ad probandam simoniam & confidentiam socii criminis, dum hi etiam sunt socii muneris, ob rationem positam in *cap. veniens. il. 1. de testibus.* Castrop. *loc. cit.* num. 20. Paris. n. 22. juxta Rotam in *Pampilon. Parochial.* 13. Julii. 1552. teste Caputaq. *decis.* 244. p. 3. Proceſſitque, etiam si ageretur de simonia civiliter. Paris. *cit. nu.* 22. citans Redoan. *de simon.* p. 4. c. 5. nu. 28. Item, etiam si hi testes socii criminis & muneris, nihil recepissent; quia sufficit, quod eis fuerit promissum. Paris. n. 23. juxta Rotam *ubi ante.* Secus tamen est, seu admittuntur socii criminis, dum non sunt simul participes muneris; speciale enim id est in his tribus criminibus exceptis, nempe haeresis, laesae majestatis, simonia; quod admittantur in testes socii criminis c. 1. *de testib.* in 6. & *ibi* DD. communiter Castrop. *loc. cit.* n. 3. Paris. n. 21. citans plures, ac dicens esse communioem. vide eundem de hoc puncto *de resign.* l. 14. q. 10. Neque admittuntur ad probandam confidentiam testes inimici. Paris. nu. 25. juxta Rotam in *Aguens.* 17. Martii. 1593. uti &, qui nimis audacter deponunt, ac nimis animosè loquuntur. Paris. n. 26. cit. Anchar. *conf.* 227. n. 5. Cravett. *conf.* 1. num. 9. & Rotam in *Imol. confidentia.* 24. Febr. 1592. Neque probatur simonia per testes de auditu, etiam de publica voce & fama, etiam si cū hac publica fama & voce ad sit unus testis. Paris. n. 27. dicens sic pluries resolutum à Rota. Porro licet alias testi unico non adhibeatur fides. c. *veniens. de testibus.* etiam si is esset in ma-

xima dignitate constitutus. Bellam. *decis.* 628. & etiam causa commissa esset conscientia alicujus. Alex. *conf.* 209. l. 6. *volum. ult.* ac ita de jure communi qualibet præsumpcio esset probanda per duos testes, conreltes. Paris. *de confid.* q. 67. à n. 1. ad probandas tamen præsumpciones & conjecturas de confidentia positas in constit. Pii V. sufficiunt singuli testes, uti id ipsum exprimitur in dicta constit. Pii V. §. *testes verò.* de quacunquere singulares singulas probare valent conjecturas, & præsumpciones. Paris. *nu. 5.* id ipsum autem, quod sufficiat in hoc unus testis, operatur difficultas probandi; uti idem exprimitur in dicta constit. §. *si quidam.* Paris. *n. 6.* Adeoq; jam etiam, licet in criminalibus regulariter duæ probationes imperfectæ non jungantur ad faciendam plenam probationem; fallit tamen hoc in crimine hoc, in quo speciale est propter ejus gravitatem, ut probationes imperfectæ simul conjungantur ad constituendam probationem perfectam, sicut in civilibus junguntur. Paris. *n. 7. & 8.* citans plurimos. eoque facilius in præfenti casu probandæ simoniæ plures præsumpciones conjunguntur ad plenam probationem, quia hæc præsumpciones unaquæque semiplenè probat, nempe per unum testem. Paris. à n. 10. Et licet etiam, ut dictum, conjectura qualibet ad minus per duos testes sit probanda; potest tamen Papa in certis casibus statuere, ut sicut dicto unius testis; et si generaliter hoc statuere non possit in omni casu; cum id sit de jure divino, ut duo testes requirantur. Paris. à *nu. 21.* & plura de hoc, num unus testis sufficiat ad probandam unam conjecturam. Paris. *de confid.* q. 72. *per totam.* Veruntamen advertendum est ad hoc, quod Paris. in fine *cit. q. 67.* adjicit: *hodie autem in septimo decretalium in hac parte reformatur hæc institutio, & statuitur, ut duo testes requirantur & optimâ ratione.* Idem ait q. 72. *in fine.* hanc constitutionem esse reducendam ad terminos juris communis, ut duo requirantur testes, & ideo die 5. Augusti, 1593. in congregatione fuisse resolutum, reformandam in hoc hanc constitutionem, quam reformationem ad susum vide apud eundem q. *ult. de confident.* unde ait Lott. *loc. cit. nu. 66.* non sufficiunt testes singulares; cum in hac materia simoniæ singularitas adeo detrahat fidem testibus, ut nequeat conjungi cum semiplena probatione, puta, famâ, nisi concurrant alia admittenda.

5. Denique ad probandam Simoniam & confidentiam sufficiunt conjecturæ & præsumpciones & signa, exprimiturque id in constitutione Pii V. estque communis & recepta in praxi omniura sententia. Paris. *de confid.* q. 71. *n. 1. & 2. & 19.* Castrop. *loc. cit. n. 2.* Lott. *l. 3. q. 29. n. 54.* Siquidem probatio, quæ fit per conjecturas & præsumpciones, est vera & propria probatio. Paris. *ibidem. n. 28.* Et hæc probatio probari solent sufficienter, quæ secreta inter amicos tractari consueverunt. Paris. *n. 5.* Lott. *loc. cit.* Item quæ sunt dolo ac fraude; eod quod hæc & similia sint difficilis probationis, ut pluribus exemplificat Paris. à n. 6. Simonia autem, & magis confidentia sunt de his, quæ secretò, dolo aut fraude fiunt. Paris. *nu. 14. & 15.* Item etiam in criminibus requirantur probationes luce meridiana clariores. *l. sciamus cuncti. c. de probat.* in hoc tamen sufficiunt conjecturæ & præsumpciones propter ejus atrocitatem; cum sit de criminibus exceptis, simonia etiam commissa tantum in beneficio. Paris. à n. 23. Castrop. *cit. nu. 2.* Unde jam ex præsumpcionibus & conjecturis po-

test judex procedere ad condemnationem, & declarare collationem & præsentationem confidentiarum aut aliter simoniam; & committentes incidisse in penas constitutas constitutione Pii V. Paris. *n. 42.* dicens ita communiter per omnes observari & praticari, Quoties enim præsumpcio est posita à lege (ut est in præfenti) potest ex ea sequi condemnatio, etiam capitalis juxta communiorem; Clarus *l. 2. recept. sent. §. ult. q. 20.* licet aliàs regulariter ex præsumpcionibus, etiam indubitatis, non debeat quis condemnari juxta communiorem, apud eundem Clarum, & Decium *conf.* 175. *n. 8.* Paris. *n. 43.* Probatum autem confidentia per conjecturas & præsumpciones positas in constit. Pii V. §. *ad probandum.* ubi in 4. casibus Pius V. ex verisimili præsumit, & habet pro veritate & confidentia illud factum, donec probetur contrarium. Paris. *n. 44.* Ut verò conjecturæ & præsumpciones, & signa probent confidentiam & simoniam, debent esse evidentes, claræ, sufficienter concludentes, & reum de crimine convincentes. Castrop. *loc. cit.* Paris. à n. 53. citans plures AA. & Rotæ decisiones; adeoq; violentæ, ut Lott. *loc. cit. n. 57.* ex Alciat. *conf. 2. n. 4. l. 1.* Debent etiam esse necessariò importantes simoniâ, ita ut nihil aliud importare possint. Paris. *n. 56.* neque sufficit unica conjectura vel præsumpcio probata per unicu testem, ad plenam probationem confidentiæ vel simoniæ, ut judex possit devenire ad condemnationem; sed ad minimum requiruntur duæ per singulares testes probata. Paris. *de confident.* q. 73. *num. 1. & 5.* citans Nav. *in man. c. 23. sub. nu. 110.* Mascard. *de probat. conclus.* 1306. Castrop. *loc. cit.* juxta quod exprimitur, in ipsa constitutione Pii V. §. *testes.* ubi: *Plures hujusmodi præsumpciones & conjecturæ plenam faciunt probationem in prædictis.* Addeque Castrop. quod qualibet præsumpcio & conjectura debeat esse in suo esse perfecta & omnino convincens, & aliàs fore nullius momenti. hinc ait Lott. *loc. cit. à n. 58.* ex Alex. *conf.* 64. *n. 4.* unamquamque probandam ad minus per duos testes omni exceptione majores, ita ut inde resulter evidentiæ facti, quæ uti regulariter exigitur ad convincendum reum, ita & in hoc atrocissimo crimine sit præcisè necessaria, ut Clarus §. *Simonia.* neque jungendæ præsumpciones, ita ut ex pluribus illegitimis probationibus una convalescat. Castrop. *loc. cit.* citans Menoch. *de præsumpt.* l. 1. q. 46. Lott. *loc. cit. n. 62.* ex Alciat. *loc. cit.* dicens ab hac regula non recedi, etiam si agatur civiliter. Mascard. *de probat. tom. 3. concl.* 1224. *n. 33.* & c. ac proinde in conjecturis ac præsumpcionibus appositis in constitutionibus Pii IV. & V. ad probandû crimen confidentiæ convenire DD. non quamlibet ex iis sit probata inducere probationem evidentem commissi criminis, sed quamlibet ex iis rectè probatam inducere præsumpcionem, & aliis concurrentibus conjecturis plenam probationem: Quamvis dicat Paris. *nu. 6.* singulare esse in hoc crimine, ut probationes imperfectæ (qualis de jure communi est quælibet conjectura imperfectè probata, nimirum per unum testem) simul jungantur ad plenam probationem. Nihilominus etiam, dum una præsumpcio seu conjectura foret probata per duos testes, sufficere in hoc casu pro plena probatione, docent plures hanc rationibus. Primò: quod Pius V. dum plures requirit præsumpciones, intelligat id de his, quæ probantur per unum testem. Secundo: quod major sit probatio, quæ fit per unam præsumpcionem for-

miter.

miter, scilicet per duos testes probatam, quam quæ fit per duas conjecturas per testes singulares probatas; cum regulariter de jure communi tantum probent mille testes singulares, quam unus, & duobus testibus contestibus plus credatur, quam mille testibus singularibus, ut Bald. in l. i. *jurand. c. de testibus. Alex. conf. 8. column. ult. l. 4. Card. Paris. conf. 57. column. 2. vol. 1. & alii apud Parisium num. 9. Tertio: quia in crimine simoniæ una præsumptio, si est violenta, sufficit ad condemnandum: ut Abb. in c. *insinuarum. de simon. num. 4. Felin. &c. Redoan. de simon. p. 4. c. 6. nu. 35. apud Paris. num. 10. & 11. dicentem esse communiorem opinionem; eò quod præsumptio violenta habeatur pro concludente probatione, etiam in criminalibus; modò non agatur de pœna corporali infligenda, ut DD. communiter in c. *affecto. de præsumpt. Adeòque jam, si ad probandam simoniam sufficiat una violenta, sufficiet in confidentia probanda una præsumptio per duos testes probata; cum stante dicta Bullâ Pii quinti minor requiratur in crimine confidentiæ, quam simoniæ: ut Paris. n. 11. quibus tandem consentit Paris. n. 15. & concludit, vel unam illarum præsumptionum probatam per duos testes contestes, sufficere & probare confidentiam, vel duas probatas per testes singulares, & hoc, donec septimus liber decretalium publicetur, ubi in hoc dicta constitutio Pii quinti reformatur.***

6. Porro præsumptiones, qua movere possunt judicem ad pronuntiandum pro non confidentia, sunt probitas & optima conditio dantis, resignantis, recipientis beneficium: nam hæc faciunt præsumere, non esse verisimile, illicitè illud beneficium accepturum; & receptum est, bonam famam excludere præsumptiones malas, ut Tiraq. *de pœnis temperandis. causa 15. nu. 2. Paris. de confid. q. 74. n. 1. & 2. Item qualitas dantis, ut quia est Episcopus, Archiepiscopus; & parva quantitas, ut Gabri. *conf. 127. n. 14. l. 2. Paris. n. 4. vel etiam quia dans vel recipiens est dives; quo casu non est præsumendum illud crimen admissum, cum potius pauperes propter egestatem id cogitent. Paris. nu. 5. Qui tamen addit has similisve circumstantias debere quidem movere judicem, ut sit circumspæctus ad credendum testibus, ad dandas remissiones & sententiam ferendam; non tamen sint tales, quæ in totum elidant conjecturas. Sed neque in contrarium amicitia & sanguinis conjunctio resignantis & resignatarii faciunt præsumere commissam confidentiam, Paris. *de confid. q. 75. n. 2. dicens esse veriolem & communiter receptam, & probans id pluribus. Denique num admittatur probatio in contrarium contra præsumptiones expressas in constitutione Pii V. & qualis, de hoc vide Paris. *de confid. q. 76. & 77. per totam. Vide de his aliisque pœnis potissimum ob simoniam inflictis Paris. de resign. l. 14. q. 8. 9. & seq. Redoan. de simon. p. 4. c. 6. Maillard. de probat. conclusionem 1304. & seq.****

Quæstio 204. An, & qualiter vacet beneficium ob excommunicationem, & infortescentiam in ea?

Respondeo primò: licet excommunicato valide conferri nequeat beneficium, juxta ea, quæ diximus de electione, de quo vide Garc. p. 7. c. 13. à n. 1. Item licet excommunicato, quia inhabilis est ad beneficia obtinenda, non competat jus optandi caonicatum, dignitatem seu novum ti-

tulum; etsi secus sit de optione illa, quæ non acquiritur novus titulus; utpote quæ quia consistit in solo facto, quod fit in vim titulum præhabiti, per excommunicationem non minuitur, nec tollitur, Tond. p. 3. c. 126. n. 8. citans Covar. in c. *alma mater. p. 1. §. 7. n. 4. Gonz. ad regulam 8. gloss. 34. nu. 65. Monet. de optione. c. 4. q. 2. num. 30. Et vel hinc canonicus in excommunicatione præbendam optare possit; quia non acquiritur novus titulus; de quo vide Laym. Lott. paulò post citandos. Licet etiam excommunicatus acceptus sibi in absentia ante contractam excommunicationem collatum beneficium, nullum jus seu quasi dominium in illo acquirat, si tibi absentis, de præb. in sexto, ita etiam ut si is, qui in excommunicatione acceptabit illud beneficium, moriatur ante absolutionem, beneficium illud non vacet per mortem illius. Laym. in c. *cum in tua. de consuetud. in sexto. citans Suar. de consuetud. d. 13. sec. 15. num. 17. Sed dicta acceptatio facta in excommunicatione solum declarat ejus voluntatem, quæ si revocata non fuit, sed virtualiter maneat, prodesse potest; ut post absolutionem ab excommunicatione ejus vigore beneficium acquisitum censi debeat, Laym. *ibidem. Non tamen propter excommunicationem incurritur privatio beneficiorum obtentorum. Garc. p. 7. c. 13. n. 90. C. de Luca. de benef. d. 74. n. 2. Tond. loc. cit. n. 1. & 2. citans Barb. in c. *proposuit. de Cleric. excomm. nu. 7. Abb. in c. 1. de judic. nu. 24. Ricciullum de person. extra grem. Ecclesie existens. l. 4. c. 13. n. 8. &c.****

2. Respondeo secundò: neque ob infortescentiam in excommunicatione per annum & ultra inducitur ipso jure privatio beneficiorum obtentorum. Lott. l. 3. q. 33. n. 91. C. de Luca. loc. cit. n. 5. Gonz. loc. cit. Azor. p. 2. l. 7. c. 18. §. *secundò queritur. dicens esse constantem sententiam omnium. Gonz. gl. 15. n. 104. & 107. contra Felin. in c. 1. de judic. 8. apud Lott. loc. cit. n. 97. & Menoch. de arb. p. 2. centur. 5. casu 415. n. 52. apud Gonz. quem tamen defendit Lott. de quo paulò post, Nullibi enim reperitur in jure textus dicens, infortescentem privatum beneficiis; & infortescencia solum operatur, quòd infortescens habeatur pro confesso vel convicto de crimine, aut causa, de qua accusabatur. Gonz. loc. cit. n. 104. & 105. Unde vel procedetur contra infortescentem in excommunicatione lata pro crimine inducente vacationem ipso jure; & jam non vacabit ipso jure beneficium ratione infortescentiæ, seu perseverantiæ hujus in excommunicatione; sed ratione ipsius delicti. Vel procedetur contra talem excommunicatum ob crimen, pro quo non est privatus ipso jure, sed venit privandus; sed nec tunc, ut patet, inducitur vacatio seu privatio ipso jure ob dictam perseverantiam. Gonz. num. 106.*

3. Respondeo tertio: potest tamen excommunicatus (etiam si excommunicatio illata ex civili causa: ut Lott. loc. cit. n. 92. ex & cum Menoch.) ob infortescentiam privari beneficiis, ex ratione, ut in privatione non consideretur causa excommunicationis, sed novum delictum ex perseverantia, & pertinacia, nimirum contemptus interpretativus clavium Petri, Lott. loc. cit. ex Menoch. supra cit. (quem ait, id solum voluisse, & non docuisse illum, talem ipso jure privatum, pro qua sententia ab aliis citari solet) dicens esse veriolem, & in Curia Romana magis receptam. Card. de Luca. de benef. d. 74. n. 7. Paris. de resign. l. 4. q. 3. n. 36. dicens

dicens esse communiorem. Azor. citans Gl. in c. 1. de iudic. Selva. p. 3. g. 4. n. 50. &c. & adducens illud Trid. sess. 25. c. 3. *supra* excommunicatus obdurato animo per annum infordeat, etiam contra eum tanquam de heresi suspectum procedi potest; unde perspicuum fit, esse grave delictum in excommunicatione obdurato animo per annum persistere. Quapropter, ut ait Azor. si clericus monitus esset, ut ad certum tempus in iudicio se sistat, vel in quavis alia re obediat, alioqui in eum excommunicatio feretur, & beneficio, quod habet, spoliabitur, nisi compareat; excommunicatio in eum iuste ferri potest, in qua si per annum permanferit, merito beneficio deijci potest, &c. Contra Gonz. gl. 15. nn. 107. in quantum ibi dicit, perseverantem in excommunicatione lata in eum ex civili causa, etiam ad plures annos, nec esse ipso iure privatum beneficiis, nec debere iis privari. Porro ad hunc effectum privationis requiritur, excommunicationem fuisse iuste latam, seu esse validam, & infordecentiam cum animi pertinacia, quae redoleat dolum, & contemptum clavium. Secus enim est, si ob necessitatem, quia nimirum quis non haberet modum solvendi debitum (ob quod lata in eum excommunicatio) vel quod institerit pro absolutione, aut aliis confiter de exclusionem doli & pertinacia. Card. de Luca. loc. cit. citans Barb. ad Trid. sess. 25. c. 3. nu. 33. Ricciull. de personis extra grem. Eccl. existentibus. l. 4. c. 8. n. 3. Rotam. decis. 73. n. 3. p. 3. recent. Lott. loc. cit. n. 113. In eo vero, num talis, qui in excommunicatione (idem est de aliis censuris) perseveravit per annum, mox privari possit ac debeat, mox ut elapsus est annus, an vero exigatur diuturnior perseverantia, quae concludat ad contemptum, non conveniunt auctores: Affirmativam teneat gl. in c. cum bona. de etate, & qualitat. v. spoliari. Innoc. ibid. n. 2. & Abb. n. 7. Ricciul. loc. cit. c. 7. Barb. in c. 1. de iudic. n. 2. Alciat. ibid. n. 37. & DD. frequentius. Bonacin. de censuris. d. 2. p. ult. proposuit. 2. n. 2. apud Lott. loc. cit. à num. 94. argumento c. concursus. 11. q. 3. Contra negativam, seu expectandum esse per triennium, tenent Decius in c. 1. de iudic. lectura 2. n. 45. & 83. Abb. in c. postulas. de Cleric. excom. n. 4. & nu. 7. quem tamen non figere pedem, hoc est non constare sibi, ait Lott. n. 98. Lott. ipse num. 104. ubi ait, quod huic sententiae prorsus adhaereat usus Curiae Romanae, eo quod, ubi praetenditur vacatio, ex hoc capite concipiatur narrativa sub hac forma: quod N. beneficium tale obtinens, & excommunicationis sententiam rite innotatam existens suorum salutis & honoris immemor, Deique timore postposito, in dicta excommunicatione per triennium & ultra infordeat &c. ait etiam Lott. n. 98. id ipsum probari ex textu c. cum bona. de etate & qualitat. in quo supponitur infordecentia per triennium, & à cuius textus dispositione praescindendo, nullibi in iure cautum reperitur ex perseverantia in excommunicatione incurri poenam privationis beneficii, aut per sententiam iuris, aut per sententiam hominis, ut observat Cardin. in c. perpendimus. de sententia excommunicationis. n. 26. & quod c. rursus. (ubi statuitur, ut intra annum excommunicationis quis audietur, eo autem elapso, quasi contemptor ab audientia rejiciatur) loquatur, non in terminis simplicis excommunicationis, sed excommunicationis inductae ad purgandum delictum, pro quo imminet poena privationis, ait Lott. n. 99. Nec etiam in contrarium facit, quod in c. ultimo de panis. ex peffessione cen-

surarum per annum infertur ad contemptum, & privationem feudi; quia hoc ipsum, quod ibi statuitur contra principem laicum in materia feudi, speciale est, non trahendum ad alios casus; etiam si de cetero detur, magis clericos quam laicos ligari censuris. Lott. à nu. 101. Neque denique obmoveri posse videtur illud Trid. quod contra infordecentem per annum procedi possit tanquam suspectum de heresi; nam advertendum privationem beneficii in infordecentem dupliciter deduci posse, nimirum consecutivè ad praesumptam ex hac infordecentia heresi; & tunc necesse non est, perseverantiam in censura expectari per triennium. Vel principaliter propter infordecentiam ipsam; & de hoc casu procedit ista expectatio triennii. Lott. n. 112.

Quaestio 205. Num idem dicendum de suspensione?

Respondeo: quamvis suspensus privandus sit beneficiis, quae in suspensione accepit; cum suspensus beneficium, vel officium Ecclesiasticum validè conferri non potuit, Laym. ad c. cum bona. de etate & qualitat. beneficiis tamen praehabitis ante suspensionem non est privatus; Sed si in contumacia perseverans intra statutum tempus (nimirum, ut dictum de excommunicatione) Ecclesiae satisfacere, & absolutionem petere neglexerit per contumaciam, privandum esse etiam iis beneficiis, tenent Joan. Andr. Butrio. Innoc. in citatum c. cum bona. apud Laym. ibid. num. 2. Ait tamen Lay. id, quod hac in parte dictum de infordecentibus in excommunicatione, extendi non posse ad suspensionem sine juris textu; tradit tamen Gonz. gl. 15. n. 82. eum, qui se ingesserit administrationi tempore suspensionis, ipso iure privatum esse beneficio, à quo suspensus, juxta c. 1. §. finali. & c. contingentes. §. ceterum. de Elect. in 6.

Quaestio 206. Qualiter ab impetrante ex hoc capite infordecentia justificanda narrativa juxta clausulam paulo ante positam.

1. Respondeo primò in genere: Licet non exigatur pro justificatione dictae narrativae exactissima probatio, qualis aliàs necessaria est in criminalibus. l. ult. c. de probat. sed sufficiat ordinaria; debet tamen ea esse plena, & quae objectum bene concludat. Lott. cit. q. 33. n. 105. citans Rot. decis. ult. de rescripto. in novis. & decis. 189. n. 1. p. 2. divers.

2. Respondeo secundò: Istiusmodi probationem debere concludere duo; nimirum primò excommunicationis sententiam fuisse rite, hoc est, validè latam: cum alioqui non liget, & per consequens non detur ejus contemptus; hoc tamen potestimum intelligendo juxta distinctionem, quam desuper scribentes tam Theologi quam Canonistae dant. Lott. n. 106. Alterum innodationem, quae consistit in scientia ipsius excommunicati de sententia excommunicationis in eum promulgata; ita ut scientia haec debeat concludenter, & non praesumptivè, probari, & quidem per intimationem, adeo, ut non attendatur alia notitia, seu scientia praesumpta. Lott. n. 107. cit. Mascar. decis. 4. nu. 3. de probat. Ruinum. cons. 66. n. 19. l. 3. Aymon. cons. 193. n. 9. quamvis, ubi daretur plurimum praesumptionum & conjecturarum de hac noticia concursus, videatur per hoc constitui sufficienter illius

probatio. Lott. *cit. n. 107. in fine.* citans Aymon. *conf. 73. n. 19. & conf. 178. n. 1.* & Rotam in Ocenfi Archidiacon. 10. Junii. 1602. Justificatis autem hiſce duobus ſatis verificatur, quòd excommunicatus ſuorum ſalutis & honoris immemor, Dei que timore poſtpoſito, in excommunicatione inſordescat; cùm totum id jam ex temporis lapſu conſequatur, & ex contumacia deducatur contemptus, conſiſtens in duritia. Lott. *n. 109. & 110.* Neque jam in hoc caſu præterea exigitur, ut excommunicatus poſt annum excommunicationis ſuæ fuerit citatus ad ſe purgandum, juxta terminos textus *c. cum contumacia, de hæreticis, in 6.* Lott. *n. 111.* cùm hæc citatio ſolum exigatur, dum proceditur ad privationem excommunicati conſecutivè ob præſumptam hæreſin. De cetero enim, dum principaliter directè ob inſordescentiam interrogatur privatio, adeòque expectandum triennium, nihil per hoc, quòd citatus non fuerit poſt primum annum, præjudicatur tali inſordescenti; nam ſicut inſordescens citatus ad ſe purgandum contra ſuſpicionem hæreſis liberatur per purgationem, ita, ſi poſt perfeverantiam in cenſura per triennium pulſetur pro privatione beneficii, liberabitur quoque ille, ſeu evitabit ſententiam, quantumcunque duraverit innodatio, oſtendendo, ſe non ſpreviſſe ſeu contempſiſſe cenſuras: veluti, ſi probaverit, ſe petiviſſe abſolutionem, & eam ad certum tempus obtinuiſſe cum reincidentia. Quinimò ſi ſimpliciter juſtificaret, ſe pro illa inſiſtiſſe, & quantum in ſe fuit, feciſſe pro ea obtinenda; unumquodque enim horum ſufficit ad excludendum contemptum, niſi fortè probetur, petitionem abſolutionis fuiſſe ſimulatam, quòd ipſum ferme erit impoſſibile; ita ferè Lott. *n. 113.* qui & *n. 114.* inde concludit, ſibi videri eum, qui ex hoc capite impetraret, poſſe facillimè ſubmoveri propter naturam materiæ odioſæ, & cujus deductio pendet à contumacia illa, & quidem uniformi per integrum triennium, adeo ut ex illius curſu ſemel interciſo, aut per obtentam vel peritam ſolummodò abſolutionem non detur conjunctio temporis ad illud integrandum, ut ex mente ſacræ Congregationis reſpondit Rota apud Serap. *decif. 1285. n. 5.* eatenus enim præſumitur pertinacia ex tempore, quatenus intrà illud nihil actum ſit, aliàs ſecus, veluti ſi inquiratur de judice, inſtetur pro abſolutione, vel offeratur ſatisfactio, vel quid ſimile tentetur; unde colligatur animus aliò intentus, quàm ad contemptum cenſurarum. Navar. *conſil. 7. de hæreticis. n. 3.* Jo. And. *in c. cum contumacia. ante n. 1.* Franch. *n. 12.* Gemin. *n. 10.* quos citat Lott. *n. 115.*

Quæſtio 207. An, & qualiter privetur quis fructibus beneficii ob excommunicationem, vel inſordescentiam in ea?

R Eſpondeo: In hoc non convenire Auctores: nam negativam, ſeu talem non privari ipſo jure fructibus beneficiorum priùs obtentorum, dum id in ſententia excommunicationis non exprimitur, ſed ad ſummum iis eſſe privandum, tenent apud Garc. *p. 7. c. 13. n. 91. Gl. in c. paſtoralis. v. ſubtraherentur.* Petrus Nav. *de reſtit. l. 2. c. 2. n. 243.* ubi, quòd præciſè ratione cenſuræ non eſt privatus redditibus, quiſcunque beneficiatus excommunicatus vel ſuſpenſus ab officio, ſive curatus, ſive canonicus, ſive ſimplex habens beneficium, modò tamen officia exe-

quatur, licet cum peccato; Avila *de cenſur. p. 2. c. 6. d. 6. dub. 1.* dicens, excommunicatum, ſi officium præſtet, lucrari fructus, nec teneri eos reſtituere ante ſententiam & condemnationem judicis, quòd ſatis probabile dicit Sanch. *de matrim. l. 3. d. 51. n. 12.* & Vaſq. apud eundem Garciam, dicens, quòd in *c. paſtoralis. §. dudum.* non dicatur, quòd excommunicatus ſit ipſo facto privatus fructibus, nec alibi in jure habeatur, ſed quòd merito hi ei auferuntur.

2. Affirmativam, nempe quòd licet ſuſpenſus ab officio nullibi ipſo facto privetur fructibus, excommunicatum tamen privari ipſo jure fructibus beneficiorum, eòſque nec lucrari, nec ſuos facere, quamdiu eſt in excommunicatione, nempe majore, etiam occultà; licet id in ſententia non exprimat, tenent Paris. *de reſign. l. 5. q. 6. n. 76.* dicens eſſe communiorem, & *l. 4. q. 3. n. 52.* (ubi tamen id ſic limitat; niſi in proviſione facta in favorem excommunicati aut ſuſpenſi apponatur clauſula apponi ſolita in literis apoſtolicis; *Tæque à quibus. v. ad effectum præſentium aſſequendum durat:* ut potè quæ clauſula tollit impedimentum proveniens ex cenſura) Garc. *loc. cit. n. 92.* citans inter alios quamplurimos Suar. *to. 5. d. 13. f. 2.* Sayr. *de cenſuris. l. 2. c. 5. n. 24. & 30.* Tol. *in ſum. l. 1. c. 13.* Ugolin. *de cenſuris. tab. 2. c. 12.* Gutt. *qq. can. l. 1. c. 1. à n. 90.* Ledefm. *in ſum. p. 1. de excom. c. 6.* Jul. Clar. *l. 5. q. 37.* Gig. *de penſion. q. 64.* Covar. *var. l. 3. c. 13. n. 8.* Mandof. *de ſignatur. grat. tit. de abſolut. ab excomm. Abb. Franch. Imol. in c. paſtorale. §. dudum. &c.* ac dicens, id bene probari ex *cit. §. dudum.* juxta Suar. Ugol. Abb. *loc. cit.*

3. Extenditque hoc ipſum primò Garcias *n. 93.* ut procedat, etiam ſi excommunicatus non maneat in contumacia, ſeu non dormiat in ſententia, nec ſit in mora petendæ abſolutionis: eò quòd id non fundetur in mora & duratione contumaciæ, ſed ſit effectus ipſius excommunicationis ob culpam & contumaciam latæ: citat pro hoc Suar. Tolet. Ledefm. ubi ante contra Sayr. Sylv. Henriq. Zechum, Vegam. quin imò ait *n. 92.* contra Suar. non lucrari fructus, à quo injuſtè ei negaretur abſolutio; eò quòd ad hoc ſufficit ab initio juſtè excommunicatum fuiſſe, cujus juſta excommunicationis effectus hiic non tollatur per injuſtam judicis dilationem, ſed ſolum ea efficiat, ut contra illum injuſtum dilatorem vel impedirem abſolutionis habeat jus & actionem ad fructus pro illo tempore amiſſos, & ad reſarcitionem damnorum ex illius culpa ſubſecutorum.

4. Secundò, ut quamvis depoſito & ſuſpenſo à beneficio ob crimen, & non in contumaciam ſint alimenta exhibenda ex redditibus beneficii, ſi non habeat aliàs, unde vivat, ne mendicare cogatur; ſecus tamen ſit in excommunicato, etiam ſi egeat; cùm poſſit à contumacia reſiſpiciens abſolutionem conſequi. Garc. *loc. cit. n. 98.* citans Covar. Clarum, Gutt. Ugol. Suar. Tolet. Ledefm. ubi ante. Nav. *in manuali. c. 25. n. 124.* Surd. *de alimentis. tit. 1. q. 82. & tit. 7. q. 36.* ac dicens, eſſe communiorem Doctorum contra Sayr. ubi ante. Sylv. *v. clericus. 4. q. 25.* Henriq. *l. 13. c. 13. §. 4.* ubi is, quòd excommunicatus, etiam ſi fuit in mora, retinere poſſit fructus ſuæ ſuſtentationi neceſſarios; & alibi, quòd excommunicatus manens contumax, ſi horas recitet, & faciat officium parochi vel canonici, retinere poſſit fructus ſuo ſervitio reſpondentes; quòd verum non eſſe, ait Garc.

n. 110. eod quod servitium illius, qui alias non habet jus ad fructus beneficii, quia est illis privatus, non est sufficiens titulus, ut ratione ejus possit fructuum partem recipere, sed alius interea sumptibus illorum fructuum beneficio inservire, & ejus munera obire debeat; ut Ugol. loc. cit. n. 3. Suar. loc. cit. n. 24. Quemadmodum, ut idem Garc. n. 101. contra Nav. *const. 2. n. 5. de filiis presbyt.* Henric. l. c. c. 3. §. 3. Suar. d. 13. §. 1. n. 3. Avil. l. c. c. 6. d. 6. Rodriq. to. 1. c. 29. n. 5. in fine. etiam in eo, qui non habet legitimum titulum beneficii, servitium non est sufficiens titulus, ut possit partem fructuum pro suo arbitrio retinere, maxime si erat intrusus mala fide; cum illud servitium sit exhibitum gratis sine titulo beneficii, aut ex alia parte non sit conductus ad illud. Quamvis, ut Garc. n. 103. remittens ad se ipsum p. 6. c. 3. d. n. 116. is, qui non habet legitimum titulum, percipere possit distributiones quotidianas & alia emolumenta similia, quae dantur pro labore, & ministerio personali, incerta tamen; nam distributiones certas & assignatas perceptas teneretur restituere. Uti hoc idem, quod percipere possit distributiones quotidianas & emolumenta de excommunicato, tradit Tond. *99. benef. p. 3. c. 126. n. 3.* De cetero quod excommunicatus ab illo tempore, quo recessit a contumacia, & non potuit habere abolitionem, possit recipere ex fructibus beneficii pro sustentatione sui, admittit Garc. n. 104. citans pro hoc Nav. *conf. 37. de sent. excom. n. 10.* Gurr. loc. cit. n. 101. *Surd. de alimentis. tit. 1. q. 82. n. 10.* Suar. l. c. n. 16. uti & ubi citra hanc recessione a contumacia in extrema necessitate. Garc. n. 105. citans Gurr. n. 120. *Surd. n. 9. Ugol. l. c. n. 41. & c.*

5. Tertiò: Ut excommunicatus amissos fructus recuperare aut retinere non possit post abolitionem; cum absolutio solum tollat impedimentum respectu fructuum futurorum, non verò respectu fructuum jam amissorum; & certè si post abolitionem hi fructus retinendi forent, esset occasio diutius perseverandi in excommunicatione. Garc. d. n. 106. citans Abb. in c. *pastoralis. §. dudum. n. 22.* Franc. n. 2. Bald. n. 20. *Tolet. ubi supra.* Suar. ubi ante nu. 20. Sayr. ubi supra n. 24. & c.

6. Quartò: Ut procedat, etiam ubi ante excommunicationem creditori ipsius beneficiarii fuissent assignati fructus percipiendi; cum illa assignatio intelligatur, si beneficiatus illos lucratus fuerit, & cum illi fructus non sunt excommunicati, non potest illos habere creditor; cum eos debeat habere ex persona beneficiarii. Adeoque ex hoc non fiet creditori injuria; & licet ex eo, quod in fraudem creditoris excommunicatus perseveret in excommunicatione, fieret injuria creditori, non tamen sequitur, quod beneficiatus, aut creditor ejus nomine debeat eos percipere. Garc. d. n. 109. juxta DD. in c. *pervenit. de fidejuss.* & Rotam in *Mediolanens. fructuum. 20. Junii, 1597.* quam vide apud illum n. 113. contra Sayr. ubi ante. n. 25. & Ugol.

7. Quintò: Ut etiam procedat in pensionario, nimirum quod is non lucretur redditus pensionis pro tempore excommunicationis. Garc. n. 114. citans Suar. ubi ante n. 21. & remittens ad se ipsum p. 1. c. 5. d. n. 131.

8. Sextò: ut excommunicatus sit insuper privatus administratione bonorum beneficii, Garc. n. 115. citans Abb. in c. *§. verum. n. 18.* Franch. p. *Leuren. Fori Benef. Tom. III.*

n. 17. Decium n. 22. uti & Suar. loc. cit. n. 6. Sayr. n. 31. Ugol. Nav. & c. dicentes excommunicationem suspendere ab officio & beneficio.

9. Econtra limitatur responsio primò: ut non procedat, ubi excommunicatio est nulla; quod enim nullum est, nullum producit effectum. Garc. n. 116. Tond. l. c. n. 12. ita tamen, ut onus probandi nullitatem incumbat excommunicato. Garc. n. 117. juxta Rotam in *Salmaticens. censuratum. 1. Junii, 1594.* Porò injustitia & nullitas excommunicationis (uti & interdicti a choro) consistit in hoc, quod precipitur sine causa cognitione, nullis legitimis informationibus praviis, sub pretextu delicti notorii, & in spretum appellationis interpositae, antequam reus super delicto, de quo accusatus, se purgasset, Episcopus eundem suspendisset, Ac denique ad excommunicationem ejusque declarationem ac denominationem publicam devenisset; hac enim omnia manifestam arguunt injustitiam; cum Episcopus ejusve Officialis tenebatur deferri appellationi interpositae; quae dum praecedat excommunicationem, habet effectum suspensivum; etsi alias a sententia declaratoria excommunicationis non detur appellatio suspensiva. c. *licet. de sent. excom. in 6.* ut Sanch. *conf. moral. l. 3. c. unico. dubio 32. n. 217.* Quin & a declaratione interdicti aut excommunicationis datur appellatio suspensiva, si lata ob non partitionem praepcepto facto sub comminatione interdicti vel excommunicationis, a quo praepcepto & appellatione fuerat appellatum, ut Abb. in c. *delicti. de appellat.* Ita ferè Tond. l. c. d. n. 13.

10. Secundò: ut non procedat in excommunicato injuste. Garc. n. 118. citans Gl. in §. *verum. v. subtraherentur. Bald. ibid. n. 20.* Felin. in c. *Apostolica. de except. n. 12.* Ugol. c. 12. n. 4. *Surd. loc. cit. n. 14.* Suar. loc. cit. *sect. 2. n. 20.* *Tolet. Clar. II. cit. & c.* qui etiam dicunt debere injuste excommunicatum ad instaurationem legitime impeditorum habere quotidianas distributiones, uti hoc ultimum tradit quoque Tond. loc. cit. n. 6. cum Barb. de *Episc. alleg. 53. n. 174.* sub hac limitatione, si eo tempore, quo excommunicatio injusta in eum lata fuit, erat praesens in loco sui beneficii, eratque alias ante impedimentum excommunicationis solitus divinis officiis interesse. Item si fuerit absens, ex justa tamen causa v. g. pro necessitate suae Ecclesiae, aut necessaria sui defensione. Quin & distributiones illas adjudicatas & traditas aliis ab eisdem excommunicato injuste reddendas esse; cum illis nunquam per talem injustam excommunicationem privatus fuerit; tradit Garc. d. n. 119. contra Ugol. loc. cit. Sayr. n. 27. Suar. l. c. n. 23. idque etiam in casu, ubi injuste excommunicatus fuisset culpate in mora accipiendae abolitionis; eò quod, si injusta excommunicatio ex se non habet hunc effectum, non habeat etiam illum in dicto casu, Garc. n. 124. contra Ugol. loc. cit. n. 4. Sayr. l. c. n. 25. Quamvis secus dicendum asserat n. 125. in fructibus & distributionibus, quae residendo, & divinis interessendo lucrifruunt; si per eum stetisset, quò minus absolutus fuisset, & ita divinis interesse potuisset, & citat pro hoc Rodriq. in *sum. to. 1. c. 23. n. 6. & c.*

11. Tertiò: ut non procedat, si alicubi est consuetudo, ut excommunicati fructus non amittant; Tond. l. c. d. n. 13. dum enim id est juris positivum, dubium non est, posse ei per consuetudinem derogari; Garc. n. 128. citans Rebuff. in *repet. in c.*

pastoralis. de cler. excom. notabil. 2. n. 84. Ugol. l. c. Suar. cit. sec. 2. in fine. & n. 129. testans in Hispania videri esse talem consuetudinem, dum ibi nunquam visum vel auditum, beneficiatum aliquem excommunicatum tam à jure, quam ab homine restituere fructus temporis, quo fuit excommunicatus; aut ab eorum perceptione & administratione abstinere, nec ad id per Superiores cogi, sed solum in cathedralibus & collegiatis quasi in usu esse, ut non computentur seu numerentur Canonici & beneficiati excommunicati quoad distributiones & fructus, quos habent in mensa seu massa communi, sed ponantur extra calendarium. Unde jam etiam infert Garc. n. 131. stante hac consuetudine, non posse etiam talem perceptis in excommunicatione fructibus privari per sententiam, etiam alio petente; cum jus nihil aliud statuatur, quam privationem illorum ipso jure, cui per dictam consuetudinem derogatum; quamvis addat idem Garc. n. 133. quod talis excommunicatus (loquitur autem de excommunicato à jure, cujus proinde excommunicatio vel ejus declaratoria, quia non fuisse intimata punctatoribus, atque ita non positus extra calendarium, lucrari etiam potuisset fructus & distributiones istius temporis) si interfuisset divinis, in pœna possit privari fructibus (intellige, quos habet in massa illa communi, seu qui habent rationem distributionum) & distributionibus tunc lucratis. Porro ad illud, quod pro complemento peti poterat, ad quem nimirum spectent fructus amissi ob excommunicationem.

12. Respondet idem Garc. cum communi, quod sint convertendi in utilitatem Ecclesie; citat pro hoc Ugol. loc. cit. n. 3. Surd. l. c. n. 16. Sayr. l. c. n. 28. (qui idem dicat de suspensio) Nav. consil. 37. in fine. de temp. ordinar. Felin. in c. Apostolica. n. 12. de except. Suar. ubi sup. n. 24. sentit etiam cum Suar. Navar. c. 25. n. 123. & ibid. Garc. n. 135. sub Ecclesie utilitate venire subventionem pauperum. Negat tamen n. 137. contra Suar. id necessarium esse, ut pars aliqua (nempe ea, quam secundum prudentis arbitrium beneficiatus ipse non excommunicatus, si convenienter dictis fructibus uteretur, deberet impendere in elemosynas) expendatur in pauperes; eod quod nec ratio, nec lex aliqua ad id cogat. Hanc autem istorum fructuum amissionem propter excommunicationem, expensionem debere fieri ex auctoritate Superioris & judicis; dum res est publica, præsertim deducta ad forum contentiosum; si vero occulta, ab ipso excommunicato, ejusque arbitrio, ut n. 135. ex eodem Suar. tradit Garc. distributiones vero quotidianas & fructus, habentes rationem distributionum, quos amittit excommunicatus, pertinere ad eos, ad quos alias pertinere solent, quotiescunque amittuntur à non residente, ait Garc. n. 138. remittens ad se ipsum. p. 3. c. 3. dub. 13. à n. 36. Denique redditus pensionis amissos ob excommunicationem remanere ipsi titulari, & ipsi esse restituendos; cum ab ipso solvantur, & sint onus ei impositum, à quo manet liber pro tempore excommunicationis, ait Garc. n. 139. remittens ad se ipsum. p. 1. c. 5. n. 133.

Questio 208. An, & qualiter vacet beneficium ob irregularitatem?

1. **R**espondeo: Tamen irregularis nequeat Ecclesie & beneficiis intervenire. Paris. l. 5,

q. 6. n. 98. cum communi, sintque propterea inhabiles ad beneficia obtinenda. Paris. n. 99. (cum irregularitas sit nota, seu impedimentum canonicum ex facto vel defectu proveniens, quo quis prohibetur ad Ecclesiasticos ordines promoveri, & in istis ministrare. Paris. l. 5. q. 3. nu. 178.) adeoque ei conferri nequeat beneficium, seu arceatur à beneficiis obtinendis. c. is, qui. de sent. excom. in sexto. Tond. in qq. benefic. p. 1. c. 90. n. 20. citans Selv. p. 3. q. 2. n. 21. Paris. cit. q. 3. n. 18. citans Abc. in c. ult. de excess. pral. Felin. in c. 2. de rescript. column. 3. in fine. Ità ut collatio ei facta non valeat. Paris. ibid. 181. citans C. Parisium consil. 136. n. 41. vol. 4. Rebuff. de nominat. q. ult. vers. 4. Idque ipso jure, quia irregularitas privat ipso jure ab obtinendis: Tond. p. 3. q. 185. n. 17. Paris. cit. n. 181. citans Nav. in manual. c. 25. c. 27. n. 25. & dicens esse communiorem; Irregularitas tamen quocunque modo superveniens beneficio jam obtento non inducit privationem illius beneficii ipso jure. Paris. cit. q. 3. n. 182. citans Innoc. in c. cum nostris. de concess. prab. Felin. in c. inquisitionis. de accusationibus. Nav. ubi ante n. 250. Caitrop. tr. de benef. d. 6. §. 8. n. 4. Tond. loc. cit. citans Ugolin. de irregular. c. 65. §. 2. item. p. 1. c. 90. n. 21 & c. 97. n. 10. citans Rebuff. Garc. p. 11. c. 10. n. 47. citans quamplurimos. Card. de Luca de benef. d. 74. n. 11. ubi: irregularitas non inducit privationem beneficiorum; sed apta esse potest, ut iudex ad eam procedat loco pœna; juxta decis. Rota. 73. n. 23. p. 7. recent. apud Burfat. decis. 308. n. 7. idem habet de pensionibus d. 49. n. 3. ubi, quod beneficia Ecclesiastica non vacent per crimina induciva irregularitatis. Vide dicenda questione seq.

2. Potest nihilominus quis ob aliquam irregularitatem privari beneficio jam obtento v.g. ob bigamiam, ob homicidium (de quo paulò post) & in genere, qui irregularis ob notorium crimen enorme dignum deponi. Paris. cit. q. 3. n. 183. citans Jo. And. & Card. in c. cum nostris. de concess. prabend. C. Paris. ubi ante. c. 40. C. Luca loc. cit. Garc. loc. cit. ubi, quod beneficium ante irregularitatem obtentum retinere potest, antequam privetur per sententiam, per quam tamen illo privatur, quando irregularitas secuta est ob ejus culpam; unde etiam talis irregularis, etiam Episcopus, cogi potest ad resignandum. Paris. ibid. n. 185. citans D. Tho. 2. 2. q. 185. a. 4.

3. Quod atinet ad pensiones Ecclesiasticas, idem de his dicendum, quod de beneficiis, dum hæc datæ sunt non per modum stipendii, sed per modum beneficii, nimirum earum obtinendarum incapacem esse irregularem, non vero obtentis privari, tenet Riccius in prax. fori Eccles. decis. 185. n. 178. apud Tond. p. 1. c. 90. n. 22. qui tamen dicit, eundem Riccium tenere contrarium in suis decis. Archiep. Neapol. l. 2. decis. 71. p. 101. Quoad ipsum, nimirum etiam talium pensionum obtinendarum incapacem non esse irregularem, tenet ipse Tond. ibid. juxta declarat. sacra Congregationis, quam recitat Garc. p. 1. c. 5. n. 136. Idem tenet Card. de Luca de pension. d. 49. à n. 4. ubi licet pensiones Ecclesiasticæ reservatæ sunt tanquam tales pro clerico affimilentur beneficiis, eorumque jure censeantur; at tamen certum est, facilius in criminoso tolerabilem esse retentionem pensionis, quam beneficii; cum illa non percutiat substantiam beneficii, neque jus spirituale tribuat: sed solum temporale super fructibus, cujus iacti de jure sunt capaces

capaces, necessitas verò clericatus potius resultat à stylo Curie, ita interpretante voluntatem Papæ reservantis pensionem, & consequenter multò minùs amittuntur pensiones, quàm beneficia ob aliqua qualificata delicta, vide dicenda *quæst. seq.*

Quæstio 209. An, & qualiter homicidium, mulatio, vulneratio, percussio inducat privationem seu vacationem beneficii?

Respondeo ad primum, primò in genere: homicidium, etià quatenus inducit irregularitatem, arceat ab obtinendis. Castrop. loco paulò post citando, juxta dicta *quæst. præced.* Item licet homicida propter irregularitatem privatus sit ipso jure exercitio seu executione ordinis sacerdotii. Garc. p. 11. c. 10. n. 44. dicens hoc, & non aliud, velle textum illum c. *miror. dist. 50.* ubi: *sacerdotio privatus existat, citatque pro hoc Suar. to. 5. de cens. d. 44. §. 4.* Item licet privandus sit per sententiam *cap. cum non ab homine. de judic. Garc. loc. cit. n. 30.* Azor. loc. citand. §. *secundò.* non tamen, nisi concurrat circumstantia majoris alicujus atrocitatis, de quo paulò infra (etiam voluntarium, & animo deliberato factum, ut expressè Lott. l. 3. q. 33. n. 67. cum Farinac. q. 119. n. 65.) privat ipso jure beneficiis obtentis; cum nullus sit in jure textus hanc poenam clarè inducens; sed si qui eam inducere videntur, potius eam ferendam, quàm latam indicant. Tond. p. 1. c. 97. n. 26. citans Sanch. *conf. moral. l. 2. c. 20. du. 14. n. 6.* Item c. 27. n. 3. Card. de Luca de *benef. d. 73. n. 3.* Castrop. de *beneficiis. d. 6. p. 3. §. 8. n. 4.* Lott. loc. cit. Garc. loc. cit. n. 40. citans Diaz. in *praxi criminal. n. 94.* Covar. in *Clement. si fratri. p. 2. §. 3. n. 6.* Gutt. *can. qq. l. 2. c. 5. n. 6.* Azor. p. 2. l. 7. c. 18. q. 2. Suar. loc. cit. Gonz. *gl. 15. n. 79.* proceditque id ipsum in homicidio qualificato (puta quo quis occidit patrem, fratrem, clericum vel alium, per prodicionem vel infidias, ut expressè Azor) nimirum quòd non inducatur ipso jure vacatio, nisi quatenus id expressum reperitur in jure, ut paulò post dicitur de homicidio Episcopi, Rectoris Ecclesiæ, Gonz. Suar. Azor. ubi ante. Tond. p. 1. c. 27. n. 3. ubi etiam expressè ait de eo, qui patrem suum spiritualem occidisset; ex Gabr. *concl. 196. n. 7. vol. 1.* Castrop. loc. cit. Garc. loc. cit. citans Cbrax. p. 1. c. 10. n. 3. Rossiniac. de *benef. c. 1. n. 59.* Gabr. *concl. 196. l. 1.* & *concl. 187. l. 2.* contra Felin. in c. *inquisitionis. de accusat. n. 5.* negantes id de homicidio qualificato apud Garc. n. 42. & contra eundem, & Rebuffum in *pr. tit. de mod. amittendi benef. n. 42.* & Corax. p. 3. c. 6. n. 15. id negantes de parricidio. Proceditque responsio etiam hodie dum adhuc stante Trid. *sess. 14. c. 7.* cum verba illa Concil. dum non exprimunt contrarium, & agat ibi præcipuè de incapacitate homicidæ ad beneficia de novo acquirenda, accipienda sint secundum jus antiquum. Garc. loc. cit. n. 45. citans Rodriq. *qq. regular. to. 1. q. 24. d. 16. Avil. de cens. p. 7. d. 6. dub. 83.* Molin. de *just. tr. 3. d. 78. n. 2.* & præcipuè Suar. ubi ante. §. 7. contra Majolum de *irregularitate l. 5. c. 48. n. 1.* Proinde jam, cum beneficium homicidæ non intelligatur vacare, sed is retinere possit beneficium habitum ante homicidium usque ad sententiam. Garc. loc. cit. n. 47. Lott. n. 69. nec is aut alio delicto notatus interea respectu illius, aut juris in eo destituitur remedio possessorio. Lott. n. 69. Quin & possit renunciare, quantumcunque crimen supponatur notorium. Lott. n. 70. citans Paris. l. 3. q. 16. n. 31. faciet quoque fructus interea perceptos irrevocabiliter suos, do-

nec per sententiam eo privetur. Garc. n. 48. citans Felin. in c. *de quart. a. de rescrip. n. 33.* Paris. ubi ante. n. 7. Gonz. *gl. 15. n. 150.* Azor. ubi ante. q. 2. Molin. loc. cit. Suar. cit. d. 40. §. 2. n. 10. & c. five, etiam si sequatur sententia super privatione, non tenetur fructus perceptos ex die commissi delicti restituere. Lott. n. 71. (qui etiam addit, multò minùs teneri ad restitutionem fructuum, qui interea percipi potuerunt, citatque n. 78. Boerium, Innoc. Felin. Corneum, & c. contra Castrensem in l. 1. n. 3. c. de his, quibus ut indigni.) contra Diaz. in *pr. criminal. c. 131.* Clarum. l. 5. q. 73. n. 9. Zerol. *pr. Episc. p. 2. verbo irregularitas. §. 4.* Covar. in. 4. p. 2. c. 6. §. 8. n. 7. Gutt. ubi ante. §. 5. n. 8. & alios apud Garc. n. 49. & Lott. n. 72. ubi, quòd restitutio tam perceptorum quàm perceptibilium à die commissi criminis vix sustinetur in eo delicto, pro quo lata poena privationis beneficii ipso jure, aitque Lott. n. 78. errasse proinde Castrensem, & n. 74. non debere quemquam moveri à numeritate doctorum, qui in comprobatione sententiæ Castrensis cumulari solent, maxime per Farinacium; cum plerique eorum dicant vel ostendit *ibidem* Lott. n. 77. Ac proinde in rebus seriis non fidendum multitudini Doctorum, sed videndi ipsi in fonte, & non standum, ut dicitur, in bona fide parentum.

2. Respondeo ad primum secundò: vacare tamen jure beneficia primò occidentium S. R. E. Cardinale, Castrop. loc. cit. n. 5. Garc. loc. cit. n. 55. Azor. loc. cit. §. *tertium.* Gonz. loc. cit. n. 74. Barb. *juris. Eccl. l. 3. c. 14. n. 54.* citans Paris. l. 11. q. 10. in principio, & n. 24. Vivian. & c. Idemque est de eo, qui Cardinalem hostiliter persecutus, vel percussit vel ceperit, aut se socium adjunxerit his, qui tale quid fecerunt, vel consilium, auxilium, aut mandatum dederit, aut suo nomine factum ratum habuerit, aut suo nomine id facientes postea receperit, vel defenderit, prout hæc omnia exprimuntur, & dicta poena illis statuitur c. *felicitis. de penit. in sexto.* Castrop. Azor. *ll. cc. reddunturque* tales insuper inhabiles ad beneficia obtinenda vi citati c. *felicitis.* Castrop. loc. cit. qui addit, etiam dictas poenas extendi ad horum delinquentium filios ac nepotes, pro quo citat Farinac. in *pr. crimin. q. 112. n. 21.* & Barb. Secundò: occidentes Episcopum ipso jure privantur beneficiis, quæ habent in Ecclesia, cui talis Episcopus præest. Garc. loc. cit. n. 56. citans Molin. de *just. tr. 3. d. 65. n. 7.* Gonz. *gl. 15. n. 75.* Castrop. loc. cit. n. 5. (qui addit, id intelligendum de Episcopo confirmato, non vero de electo tantum; eò quòd is Episcopus non sit) Barb. loc. cit. n. 55. juxta citatum c. *felicitis.* & clem. 1. de *penit.* Idem est de Episcopum percutientibus, capientibus, proferentibus, & qui his mandatum dederit, vel consilium, aut auxilium, aut qui horum socius fuerit, aut facta rata habuerit, aut facientes defenderit, receperit scienter. Azor. loc. cit. n. 17. q. 1. §. *quartum est.* juxta cit. clem. 1. Tertio: occidentes per se, vel per alium beneficium, Rectorem Ecclesiæ, seu alium conbeneficiatum vel habentem beneficium, in Ecclesia, ubi occisor habet beneficium, ipso jure amittet illud beneficium; secus est de aliis beneficiis, quæ habent in aliis Ecclesiis; hæc enim non vacant ipso jure. Castrop. loc. cit. Garc. n. 57. Gonz. loc. cit. n. 77. Barb. loc. cit. n. 56. citans plures alios juxta textum *cap. in quibusdam. de penit.* contra Felinum. in c. *inquisitionis. de accusat. n. 3.* id negantem eò quòd, ut dicit textus citari *cap. in quibusdam.* tantum loquitur de beneficio temporali, seu dco & c. Et Azor. loc. cit. n. 18. q. 1. §. *de*

inde id negantem; quia in citato textu non dicitur ipso jure amittant; sed simpliciter amittant; quod verbum non importat sententiam ipso jure latam, sed iudicis sententiâ ferendam. Verum, ut patet, textus loquitur de utroque tam beneficio verè ecclesiastico, quam de temporali officio & feudo; Castrop. loc. cit. Garc. n. 57. citans Rebuf. in pr. de mod. amitt. benef. n. 45. Tolet. Gregor. Gabr. & c. Neque dicitur in citato textu simpliciter amittant, sed prorsus amittant: quod quia æquivaler omni modo, seu factis amittant. Castrop. citans Tiraq. in l. si unquam. c. de revocand. donat. n. 71. Sanch. de matrim. l. 3. d. 35. n. 8. Garc. n. 58. citans Abb. in cit. c. n. 7. gl. in c. final. de prescrip. in 6. v. ipso jure. Felin. in c. Rodolphus. de rescrip. n. 34. & alios. In simili de dictione penitus, de quo vide Garc. p. 8. c. 1. n. 5. Quarto: occidentes, vulnerantes, vel quoquo modo offendentes, in Curia Rom. litigantes, eorumque iudices, advocatos, Procuratores, Notarios, ipso jure amittunt sua beneficia, juxta Constitut. Alex. VI. quæ est II. & incipit; In eminentes; quam latè explicat Fundeus decis. 102. & seq. l. 1. Castrop. cit. n. 5. Gonz. gloss. 15. n. 100. Barb. juris Eccles. l. 3. c. 14. n. 60. citans Mandos. consil. 60. & 6. Vivian. Chok. & c.

3. Respondeo ad secundum; de cetero præscindendo à percussione dictarum jam personarum, percussio simplex aliorum, vel etiam vulneratio cum effusione sanguinis, vel mutilatio non causat hanc privationem beneficiorum ipso jure. Et licet percussio clerici ipso facto inducat excommunicationem, de hoc loquendum, sicut de aliis excommunicationibus. De his tamen expressè ait Garc. cit. c. 10. n. 178. percutientes clericum, & sic sacrilegium committentes, non sunt privati ipso jure, imò nec regulariter privandi beneficiis, sed incurrunt excommunicationem. Licet etiam mutilatio membri, seu vulneratio, ex qua mors sequatur, inducat irregularitatem, de hac pariter loquendum, sicut paulò autè, de irregularitate ex homicidio aut alia. Ita colligere licet ex Tond. p. 1. c. 97. n. 25.

Quæstio 210. Quid sit assassinus, & qualiter committentis assassinium exinde vacent beneficia, & qualiter in ordine ad hunc effectum vacationis justificandum assassinium?

1. Respondeo ad primum: assassinos dici constituentes & conductos pretio ad effundendum sanguinem, seu occidendum christianum, Azor. p. 2. l. 7. c. 17. q. 1. 5. octavum. Lott. l. 3. q. 31. n. 34. qui etiam ibidem crimen illud numerat inter ea, quæ ob atrocitatem sui, ob specialem oppositionem, quam habent cum naturâ humanâ, vocantur recessus, seu apostata à natura. Porrò de essentia assassinii esse, ut fiat interveniente pecuniâ, aut alio promisso, quod esset loco pecuniæ, ait Tond. p. 1. c. 27. n. 8. ex Farinac. de homicidio. q. 123. n. 19. & seq. & n. 41. & 153. sic Paris. l. 14. q. 7. n. 33. & 34. citatis pluribus dicit, assassinium committi, non solum datâ pecuniâ, sed etiam solâ promissione. Idem habet eod. l. 7. 10. n. 42.

2. Respondeo ad secundum: assassinium inducit privationem seu vacationem omnium beneficiorum ipso jure tam respectu conducentis quam conducti, uti & respectu omnium, qui assassinum receperint, defenderit, occultârint, ita ut liberè ea beneficia conferri possint ab iis, ad quos spectat col-

latio, ita expressè c. 1. de homicidio. in 6. Barb. juris Eccles. l. 3. c. 14. n. 27. citans plures. Azor. loc. cit. Lott. loc. cit. n. 35. Tond. loc. cit. n. 4. Garc. cit. c. 10. n. 54. Gonz. gl. 15. n. 76. Castrop. loc. cit. n. 4. Procedit itque id ipsum, licet reipsâ effectus seu mors secuta non fuerit, Azor. Castrop. loc. cit. Tond. p. 1. c. 97. n. 33. addens id præcipuè verum, ubi ad actum proximum devenit fuerit, ac citans Carol. de Grassis. de effectibus cleric. effectus. l. n. 700. Farin. de homicidio. q. 122. n. 104. & seq. Lott. loc. cit. n. 38. dicens, id esse ob atrocitatem illius singulari, unde proximum sit criminis læsæ majestatis (quod est Apostasia à principe per offensam ejus majestatis) ac proinde in eo ac in crimine læsæ majestatis aquè puniri affectum quam effectum. Quod ad receptores verò assassini, ut hincurrant dictam penam, requiri in receptione delum & malam intentionem, tradit Tond. cit. q. 27. n. 7. ex Farinac. de consistor. q. 133. n. 55.

3. Respondeo ad tertium: ad probandum assassinium non exigi testes citatâ parte, ubi ageretur ad effectum privationis beneficii, etiam cessante periculo moræ (super quo periculo videtur fundata dispositio illa cit. c. 1. de homicidio. in deferendo probabilibus argumentis, ut explicat Rota apud Crescent. decis. 2. n. 7. de testibus Lott. loc. cit. n. 40.) tenet Farinac. in pr. crimin. q. 72. n. 122. cum pluribus ab eo congestis, ut refert Lott. loc. cit. n. 39. quam sententiam, et si idem Lott. dicat ibidem minime recipiendam; præcipuè ubi de hoc ageretur ad effectum privationis. Subjungit tamen n. 41. verum esse, quòd ob immanitatem criminis sufficienter probabilia argumenta, ut loquitur textus cit. c. 1. citat pro hoc Gemin. ibidem. n. 10. Archid. n. 2. Franch. n. 15. Decian. in tr. crim. p. 2. l. 9. c. 30. n. 22. Impetranti verò ex hoc capite duo necessario præstanda; Primum: justificanda formalitas assassinii, nimirum ex simultanea conventionè de occidendo hominem christianum pro pecunia datâ vel promissâ, nihil tale ab ipso occisore metuentem. Lott. n. 42. ex Farinac. consil. 10. n. 1. Alterum, ut dum constituitur, seu fit probatio per argumenta, hæc debeant esse probabilia, ut ait textus, id est, talia, ex quibus oritur iudicium indubitatum, Lott. n. 43. citans Farinac. in pr. q. 87. n. 43. & 48. Nullatenus verò suffragatur tali impetrationi sententia declaratoria commissi assassinii per alium, quam per iudicem Ecclesiasticum lata; cum certum sit, sententiam super hoc scelus latam à iudice laico contra clericum nullam esse ex defectu jurisdictionis. Lott. n. 44. & 45. citans Farinac. q. 8. n. 83. & Cardinal. Albanum, consil. 13. Unde etiam, dum hoc crimen impingitur fratribus, militibus, religiosis, donatis, servientibus, servitoribus aut presbyteris secularibus in eorum Ecclesiis servientibus Religionis Hierosolymitanæ, ejus cognitionem spectare ad iudices Ecclesiasticos, nimirum ad Superiores illius Religionis adjuncto Episcopo privative ad quosunque alios, sancitum esse à Clem. VIII. in consistor. ejus 37. sub dato 18. Decemb. 1595. testatur Lott. n. 47.

Quæstio 211. An, & qualiter inducatur privatio beneficii per procratationem abortivis?

Respondeo: præterquam, quòd scelestissimi hi à natura Apostatantes (ut eos vocat Lott. cit. q. 31. n. 52.) teneantur l. cornelia. de sicariis, utpote veri homicidæ, dum fœtus animatus est, & ex dispositione juris civilis penâ capitali plectantur, l. Ci-

Cicero ff. de panis. si beneficiati sunt, qualescunque demum sint, ipso jure privantur quibuscunque beneficiis. Lott. n. 48. & 52. quæ pœna, uti & alia contra eos latæ à Sixto V. in constit. quæ est 87. sub dato 4. Calend. Novemb. 1588. ut manifestius & distinctius intelligatur, pluribusque circa hoc dubiis respondeatur, lubet hic ipsa verba constitutionis dare. Relatâ igitur specie tam detestanda contra naturam humanam rebellionis, & ab ea apostasia, sic inquit Pontifex: Omnes & quoscunque tam viros quam mulieres, quoscunque statûs, gradûs, ordinis, & conditionis, etiam clericos, saculares, vel cujuscunque ordinis regulares, quavis dignitate aut præminentia Ecclesiastica, vel mundanâ fulgentes; qui de cetero per se, aut per interpositas personas abortus, seu foetus immaturi, tam animati, quam inanimati, formati vel in formis, ejectionem procuraverint, percussibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri prægnanti impositis, aut aliâs etiam incognitis vel maxime exquisitis rationibus, ita ut reipsa abortus inde secutus fuerit, ac etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scientes præmissa fecerint; pœna tam divino, quam humano jure, ac tam per canonicas sanctiones & apostolicas constitutiones, quam civilia jura adversus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu & reipsa patravissent, propostas, & infestas (quorum omnium tenores his nostris literis expressis, & ad verbum insertis habemus) eo ipso incurere hæc nostra perpetuâ valiturâ constitutione statuimus, & ordinamus ipsas pœnas, leges & constitutiones ad casus præfatos extendimus. Et s. 2. eos vero, qui clerici fuerint, omni privilegio clericali ordinis, officii, dignitatis ac beneficii Ecclesiastici, quæ sic vacatura nostra & Sedis Apostolicæ dispositioni perpetuâ reservamus, ipsos factio privamus, ad eum illi, qui hoc delictum commiserint, non secus ac ii, qui suâ voluntate, homicidium perpetrarint, juxta Conc. Trid. decreta, etiamsi crimen id nec ordine judicario probatum nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, ad sacros Ordines promoveri, aut in susceptis Ordinibus ministrare nullo modo possint; nec illis aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine, & beneficio, & officio perpetuo careant, &c. Unde patet in ordine ad declinandam hæc privationis pœnam, aliâsque frustra obtendi distinctionem foetus animati & inanimati. Neque etiam posse prætendi causam aliquam, quæ excuset, etiam impudicitia tegenda. Lott. loc. cit. n. 58. ex Graffio decis. aureâ. p. 1. l. 2. c. 63. n. 27. & Joanne de Anania. cons. t. n. 10. Quid quid sit de eo, ut inquit Lott. n. 55. qui aut medicus, aut medicorum consilio adhibito id tentasset, pro servanda vita matris, modò fetus verè necdum sit animatus animâ rationali. Citat pro hoc Covar. in relect. Clem. si furiosus. p. 2. §. 3. sub n. 1. Graff. loc. cit. n. 24. Nav. in man. c. 25. n. 62. Sayr. in clav. reg. l. 7. c. 12. n. 19. Item, ut ait idem n. 56. quidquid sit de eo, qui aliud agens, præter intentionem dedit causam abortui, v. g. clerico adultero, qui fuit in causa, ut maritus sic percussisset uxorem, ut inde disperisset foetus. Citat appendic. ad Nav. consil. 35. de homicid. Ac denique non videtur his panis subijci, qui dedit remedium impeditivum conceptionis. Lott. cit. n. 56. remittens ad Bellet. disquisit. cleric. p. 1. tit. 1. de disciplin. cler. §. 5. n. 27. & 28.

Questio 112. An, & qualiter inducat sodomia privationem beneficii?

Respondeo: inducere privationem & vacationem omnium beneficiorum ecclesiasticorum ipso jure. Gonz. gl. 15. n. 83. Lott. l. 3. q. 31. n.

59. Castrop. de benef. d. 6. p. 3. §. 8. n. 23. Lay. in c. cum in cunctis. de Elect. §. inferiora. n. 17. Garc. p. 2. c. 10. n. 19. juncto n. 196. citantes Rebuff. de mod. amitt. benef. n. 38. Non quidem, quantum est de jure comuni; quia in eo textus nullus, qui hæc pœnam statuat (quin nec in eo expressum, quod irregularitatem inducat, ut Nav. in man. c. 27. n. 249. Ugol. de irregularit. c. 43. §. 2. n. 4. Tolet. l. 1. c. 74. n. 3. Avil. de censur. p. 3. d. 5. dub. 3. contra Covar. in Clem. luxariosus. p. 1. §. 1. n. 6. Clara Lamb. apud eundem Garc. n. 194.) Id solum in eo expressum, quod tales sint privandi & deponendi nempe, c. clerici. de excess. prælat. Gonz. Castrop. loc. cit. Garc. n. 192. citans Diaz. in pr. crim. c. 86. Menoch. de arb. c. 286. Mandos. Clar. Licet alias hic unus ex præcipuis casibus, in quo concessa est Ordinariis facultas actualis degradationis, desumptâ ratione ex Levit. c. 20. & ex Constitut. Constantii, & Constantis, in l. cum vir. c. ad l. Juliam. de adulterio. Lott. n. 61. Verum ex perpetua constit. Pii V. quæ est illius 72. sub dato 3. Calend. Septemb. 1568. & incipit: horrendum; in qua Clerici hoc infandum scelus exercentes omni privilegio clericali, officio, dignitate, beneficio Ecclesiastico, auctoritate ejusdem Constitutionis privantur; ita ut per judicem Ecclesiasticum degradati potestati statim seculari tradantur. Ad eum quod hodie ipso jure privati beneficii, & in effectu irregulares existunt; Laym. Gonz. Castrop. loc. cit. Garc. n. 196. qui etiam n. 197. subdit, id procedere in foro interno, & in occulto, saltem quoad privationem executionis officii, & inhabilitatem, seu quod ad irregularitatem in effectu, pro quo citat Nav. ubi ante n. 9. contra Ugol. Tolet. Suar. to. 5. d. 13. §. 4. n. 22. & alios, quorum sententia, ait Garc. n. 197. posset procedere solum in privatione beneficiorum, nimirum quod ea non respiciat forum internum & occultum. Sic quoque ait Azor. p. 2. l. 7. c. 16. q. ult. in fine. ex Nav. juxta responsonem dicti Pontificis hæc pœnam etiam privationis ipso jure respicere utrumque forum. Dictam quoque constitutionem procedere non solum in Clerico masculorum concubitore, sed & in eo, qui feminam præposterâ venere cognosceret. n. 287. ex Prosp. de S. August. in additione ad symm. Bullarii, Quar. v. sodomia. limit. 1. & aliis, quos citavit n. 162.

2. Porro cum memorata constitutio dicat hoc crimen exercentes, quod verbum indicat usum, & consuetudinem; dictam pœnam privationis & alias non habere locum in iis, qui semel iterumve hoc crimen perpetrarunt, sed solum in iis, qui quasi ex usu continuato & quotidiano illud exercent (& ita, ut Garc. labuntur in hoc crimen, ut arbitrio boni viri dici possint exercitatores illius, tradunt Azor, Castrop. loc. cit. Garc. n. 198. citans Suar. ubi ante n. 20. Sayr. de censil. l. 7. c. 12. n. 23. Rodriq. regular. qq. to. 1. q. 30. a. 19. Ugolin. ubi supra. & Nav. ubi ante, qui etiam dicit, sic sibi respondisse Gregor. XIII. & Matthæum Contrarellum, ejus Daratum; Lott. loc. cit. n. 66. citans Insiper alios contra Caval. q. 223. n. 4. Saced. Azevedo, apud Garc. n. 199. tenentes, locum esse dictæ Constitutioni etiam in eo, qui semel hoc crimen patravit; eod quod sic videatur statui in constitutione anteriore alia ejusdem Pii quinti, quæ est 5. in ordine, cujus meminit hæc posterior, in qua adhibetur verbum perpetravit, quod non exposcit criminis iterationem. Ad quod tamen respondet Rodriq. loc. cit. quod licet pœna istius prioris Constitutionis comprehendat perpetrantes; pœna tamen hujus posterioris consti-

tutionis, quæ sunt graviores, comprehendunt solum exercentes. Exigi insuper ad incurrendas dictas pœnas dicti usus & exercitii notorietatem, ait Lott. n. 67. ac citat pro hoc Graff. *decis. aurea. l. 2. c. 90. n. 13.* Barb. *de Episc. alleg. 46. n. 27.* & in *Collectan. ad c. Clerici. de excessib. pralat. num. 9.* Cùmque hoc crimen inhabilitet ad consequenda beneficia, si occultum, & ad forum contentiosum deductum non est, posse absolvere & dispensare quoad hanc inhabilitatem Episcopum per concessionem Trident. *sess. 24. c. 6.* aliàs non, propter infamiam juris, quam secum fert, tradit Laym. *loc. cit.* Idem ferè habet in *c. cum pridem. de renunciat. §. intueri. nu. 5.* ubi: si Episcopus post *Canoniam institutionem ob crimen v. g. Sodomia. juxta Pii V. constit. incurrat pœnam depositionis, aut suspensionis in perpetuum, si crimen occultum est, adeoque infamiam annexam non habeat, proprius Episcopi confessorius absolvere eum poterit propter Trident. loc. cit. & adjunctam ibi declarat. S. Congregationis Cardinal.*

3. Observat etiam idem Lott. nu. 68. ex communi. Barbof. *l. ult. cit. n. 7.* in curia Romana non practicari morem impetrandi beneficia aliorum, ex hoc spurcissimo capite. Observandum denique, quod tradunt Castrop. Azor. & alii. *ll. cit. non videri hanc Pii constitutionem quoad has pœnas usum receptam. De quo puncto suam sententiam promere non audet Garc. dum ait n. 197. an autem hac constitutio in foro conscientie usum recepta sit, an non, quod posterius ait Ugolin. & in quod inclinat Henricq. Avil. Prosp. à S. August. res facti est, seu quaestio de facto, ad quam respondere non est juris consulti.*

Quaestio 213. Quid sit in exercentibus pollutionem extraordinariam, seu extra vas, & bestialitatem?

Respondeo: Nec hos, nec illos comprehendit dicta constitutio, adeoque etiam digni sint privatione beneficiorum; non tamen eam ipso facto incurunt. Castrop. *loc. cit.* de utroque crimine loquens. Garc. *loc. cit. n. 205.* ubi quod exercentes bestialitatem non comprehendantur dicta constitutione, saltem quoad pœnas ipso jure impositas Sodomitis; eò quòd, licet sit scelus gravius Sodomia, at tamen species distincta à Sodomia, & in pœnalibus non fiat extensio etiam ex identitate & majoritate rationis; præsertim cum pœna ipso jure imponitur, juxta *reg. odia. in sexto. & c. pœna. de penitentia. d. 1.* & juxta DD. plurimos, quos citat *ibidem* Garc. Sed neque incurri propter bestialitatem irregularitatem, tradit Garc. *in fine. n. 206.* ex Bannez. *de just. 2. 2. q. 46. a. 8.*

Quaestio 214. An, & qualiter defloratio maritalis inducat privationem beneficiorum?

Respondet ad hoc Card. Luca. *de benef. d. 75. num. 3.* quòd inter alias pœnas inflictas contra hujusmodi sacrilegos stupratores maritalium videatur ista pœna privationis beneficiorum imposita vel ipso jure, vel quòd per sententiam ad eam procedi possit, juxta *c. si qua monachorum. 27.*

q. 1. remittit insuper ad Farinac. de delictis carnis. q. 146 n. 26.

Quaestio 215. An, & qualiter adulterium inducat privationem beneficiorum?

Respondeo: ob adulterium aut aliam incontinentiam non concurrente concubinato, de quo paulò post, non est locus impetrationi, vel privationi beneficiorum (intellige ipso jure, quia illud importare videtur *Tò impetrationi. sub disjunctione additum privationi*) Tond. *p. 1. c. 97. num. 17.* testans sic ex mente S. Congregationis tradere Barbof. *c. sicut. de cohabit. cler. & mulier. n. 4.* addit tamen Tond. in adulterio tamen & aliis gravioribus incontinentiæ delictis datur pœna depositionis adversus clericum, pro quo citat Salcedo *in pr. crim. c. 85. v. detruditur. & Bermundum. tr. de public. concub. tit. de adulterio. n. 26.* de qua tamen pœna depositionis tradit Lott. *l. 3. q. 33. à nu. 34.* quòd licet adulterium referatur inter gravissima crimina, ut Menoch. *de arb. casu 419. nu. 2.* Neque alià pœnà quam depositionis coëteri debeat; nihilominus quia lex pœnam hanc præcisè non imponit, ità ut jussu legis, quæ secum excommunicationem trahat, hanc sententiam depositionis ferre teneatur Episcopus; sed sit id in arbitrio Episcopi, ità, si contra adulterum ferat sententiam suspensionis vel depositionis, sit restituibilis per Episcopum peractà penitentia, juxta *c. ut si cler. de judic. Et vel exinde adulterium non censetur ex criminibus majoribus, hoc est, quia ideo majora dicuntur, quia signata sunt in hoc à lege, nimirum *c. non ab homine. de judic. Ut sunt homicidium, furtum, perjurium, statuente pro iis depositionis pœnam præcisè, non verò qua aliàs adulterium reputetur minus crimen comparatione illorum. Lott. nu. 33.* Adeoque jam quoad hanc pœnam depositionis erit par ratio in adulterio & fornicatione simplice. Lott. *loc. cit. n. 37.**

Quaestio 216. An, & qualiter concubinitus inducat privationem beneficiorum?

Respondeo primò: in fornicatione (idem est de concubinato, quia hic non videtur differre quoad hæc à fornicatione continuata seu repetita, si ve cum una, eademque, si ve cum diversis) non esse locum privationi beneficiorum, nec ipso jure, nec per sententiam; nisi sit notoria & scandalosa ex diuturna continuatione; atque ità ferè incorrigibilis. Lott. *l. 3. q. 33. à nu. 166.* citans C. *quam sit. de excessib. pralat. ac Butrium in c. ut si clericus. de judic.* Sic de concubinariis non notoriis & publicis intelligendus Garc. *cit. c. 10. n. 181.* ubi ait, concubinarios non esse privatos, nec privandos seu deponendos, sed suspensionis pœnà puniendos, citans pro hoc Felin. *in c. ut si clericus. n. 14. Imol. n. 11. Berojum. n. 165. Corset. in singul. verbo fornicatio. Selv. p. 3. q. 3. n. 7. Lamb. de jurep. p. 1. l. 2. q. 9. a. 20. Clar. l. 5. §. fornicatio. nu. 3. Gutt. qq. Canon. l. 2. c. 7. n. 54.* Notorius autem concubinarius est, qui talis per sententiam vel confessionem judicialiter factam declaratus fuit, aut sanè, qui talis est, ut contròverti de eo non possit, aut aliqua legitima oppositione elari, aut etiam, quando clericus post legitimas sui Superioris admonitiones mulierem scandalali causam è domo sua dimittere renuit aut negligit; vel etiam in domo cujusdam amici vel conductitii retinet. Tond. *qq. benef. p. 1. c. 97. num. 1. & 12.* citans Rebuff. *in concord. rit. de public. concubin. §. publici autem.* Neque quoad hoc differentia faciendà est inter concubinam, fornicariam, &

meretricem. Lott. n. 150. quæ aliàs ex juris civilis dispositione valde inter se differunt, ita ut concubina dicatur ea mulier, quæ domi retinetur liberorum procreandi causâ ex animi destinatione, & affectione quâdam maritali. *l. concubina, ff. de concubin. ita ut si retineatur extra domum, non dicatur concubina, ut Barth. in loc. cit. nu. 1. Lott. loc. cit. n. 121.* Focaria verò ea, quæ non ex animi destinatione gratiâ procreandorum liberorum, sed simpliciter pro explenda libidine retinetur; sic dicta à foco; quia prætextu ut plurimum artis coquinariæ, cujus instrumentum præcipuum est focus, tales mulierculæ solent haberi. Lott. nu. 135. meretrix verò, quæ multorum libidini patet, sic vocata à merendo; quia pro mercede se prostituit. Lott. num. 146.

2. Respondeo secundò: Concubinatus, quantumcunque scandalosus & notorius, non inducit poenam privationis ipso jure (intelligi præscindendo à statuto aliquo vel jure singulari; nam dum jure aliquo singulari sic statutum est, ut rector Ecclesiæ propter concubinatum ipso jure destitutus sit beneficio, videtur talia statuta seu jura singularia præservata esse per Trid. decretum, paulò post subjungendum. Lott. loc. cit. n. 155.) sed ea est imponibilis & imponenda per judicem. Castrop. *tr. de benef. d. 6. p. 3. §. 8. n. 72.* pro quo Garc. num. 184. citat decis. Rotæ in *Tullens. monasterii, S. Mansueti, 27. Jun. 1597.* in qua resolutum, quòd clericus concubinaris etiam publicus non est ipso jure beneficiis privatus, nec venit privandus, nisi quando post legitimas monitiones indurato animo in concubinato persistat. Quo etiam facit, quod Lott. loc. cit. n. 117. eandem Rotæ decis. citans ait: *repugnat manifesta rationi, clericos concubinaris raprim & festinanter sententiam privationis subire oportere.* Proinde

3. Respondeo tertio: tamen clericus concubinaris notorius puniri possit absque aliqua monitione *e. tua nos. de cohabit. cleric. & mulieris.* ad privationem tamen beneficiorum deveniri non potest, nisi præviâ monitione, juxta *e. sicut, & e. si autem. de cohabit. cler. & mul. ex Trid. sess. 25. c. 14. Tond. loc. cit. n. 3. & 4. Castrop. loc. cit. Garc. loc. cit. n. 182.* Sed neque clericus publicus concubinaris ipso jure suspensus est à divinis, & eâ suspensione durante ministrans incurrit irregularitatem, ut ea de causâ privandus sit beneficiis citra monitionem, ut volunt aliqui, nimirum Diaz. in *pr. crim. can. v. concubinaris. c. 47.* Gregor. in *instruit. rei benef. c. 25. nu. 7.* Tolet. in *instruit. sacerdot. l. 1. c. 25.* & præcipuè Guido Papa *decis. 1558.* apud Tond. *loc. cit. n. 7. & 8.* quia contrarium est probabilius, talem non esse à divinis suspensum, nisi forè tantum quoad se, sicuti quilibet existens in mortali suspensus est quoad se à celebratione, non quoad alios. Tond. *loc. cit. n. 9.* Qua de re vide Garc. p. 7. c. 14. à n. 19. ubi materiam hanc de suspensione concubinaris fusè tractat; & inter cetera ostendit, quòd et si talis publicus concubinaris suspensus esset ab officio, non tamen ideo suspensus sit à beneficio: Quin etiam dato, talem incurrit irregularitatem, ideo tamen non privaretur beneficiis obtentis, sed solum arceretur ab obtinendis. Tond. n. 10. citans Rebuff. *de pacif. poss. g. 25. n. 280.* juxta quæ tradit Garc. *cit. c. 10. nu. 42.* citatis pluribus. vide dicta paulò supra de irregul.

4. Respondeo quarto: Ut cum tali publico concubinario procedi possit ad privationem be-

neficiorum, hodie dum debet præcedere trina monitio ex decreto Trid. *sess. 25. c. 14. Garc. cit. c. 10. n. 183. Tond. n. 6. Castrop. nu. 22.* qui tamen addit, si judex in sua præsentia delinquentem mo- neat, unicam monitionem trinx æquivalere ex textu *l. 2. c. quomodo & quando judex.* Verba dicti decreti Trid. ferè hæc sunt: *Prohibet S. Synodus quibus- cunque clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus haberi possit suspicio, in domo vel extra detinere, aut unâ cum illis ullam consuetudinem habere audeant; alioquin poenis à SS. Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Quod si à Superioribus moniti ab eis se non abstinuerint, tertiâ parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcunque, & pensionum ipso facto sint privati, quæ fabrica Ecclesiæ, aut alteri loco pro Episcopi arbitrio applicetur. Si verò in delictio eodem cum eadem vel alia femina perseverantes secunda monitioni non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum ac pensionum eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam beneficiorum suorum administratione quoad Ordinarius, etiam utrius sedis Apostolica delegatus arbitratu, suspendantur. Et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum eis etiam versentur, tam beneficiis, portionibus ac officiis, & pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuo priventur, atque inhabiles & indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis, officiis, in perpetuum reddantur: donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus, cum eis ex causa visum fuerit dispensandum &c.* Circa quam tamen poenam privationis fructuum ipso facto impositam ait Garc. nu. 190. non videri eam receptam in conscientia ante condemnationem eò, quòd nunquam viderimus aut intellexerimus concubinarium talem, etiam bis vel pluries monitum, eos restituere, quamvis nihilominus judices deberent eam poenam exequi. Neque dicta poena privationis fructuum se extendit ad distributiones quotidianas, quas ratione Canonicitatis aut dignitatis divinis interessendo percipit talis concubinaris, præter fructus ipsius præbendæ. Garc. n. 186. juxta declarationem secundam *cit. c. Trid.* Neque etiam hæc poena locum habet in clericis, si primò deliquerint; etiam si dicta generalia Ordinarii præcesserint; sed incurritur, ubi secundò deliquerint; pro prima autem vice puniri debet aliis poenis à SS. Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis. Garc. *loc. cit.* juxta eandem declarationem.

5. Respondeo quinto: Oportere trinas illas monitiones specialiter eidem intimari. Tond. n. 11. Garc. n. 186. De cetero pro inducenda incorrigibilitate nullam esse necessariam præexistentem condemnationem; sed ab ipsâ monitione inchoari, & nisi talis ad secundam vel tertiam comminationem fornicariam à se dimiserit, eandem de cetero contempturus, licere Episcopo eum; appellatione sepositâ, beneficiis spoliare, ait Lott. *loc. cit. n. 119.* juxta *e. si autem. de cohabit. cleric. & mul.* Neque necesse est, fieri has monitiones in visitatione, sed & aliis temporibus fieri possunt. Garc. num. 186. juxta declarat. 2. *ad cit. c. Trid.* tempus verò, quod inter utramque monitionem intercedere debet, arbitrio Episcopi relinquitur. Garc. *ibid.* juxta eandem declar. vide hæc de materia aliàs declarationes S. Congregationis. Item Barb. *ad cit. locum. Trid. & Bermund. in tr. de concubinaris publicis.* ex quibus tamen & aliis observanda hæc sunt sequentia; primò: posse etiam Ordinarium procedere contra concubinaris secundum dispositio-

nem

nem juris communis: nimirum *c. si autem*. non expectatâ seu servatâ formâ dicti decreti; hoc enim positum est in arbitrio judicis; cum Concil. expressè præferret alias pœnas à SS. Canonibus impositas. *Garc. n. 186. Lott. n. 154.* juxta declar. 1. *ad cit. c. Trid.* Neque tamen confundi debet quo ad executionem hic uterque modus procedendi, vel secundum formam juris communis; vel ad formam Tridentini gradatim; si enim eligat procedere secundum formam decreti, unica sufficiet monitio pro unoquoque gradu comminatæ pœnæ; si autem eligat procedere secundum formam juris communis ad penam per illud statutam, quæ est privationis beneficiorum propter incorrigibilitatem. *c. si autem*. non est dubium, exigi trinam monitionem, ut clarè in illo textu declaratur, & in *c. 2. de cohabit. cler. & mul. Lott. nu. 153.* Secundò observandum ex *Castrop. loc. cit.* & qui ab eo citatur *Guttier. can. 99. l. 2. c. 7. à n. 13.* quòd hæc procedant in concubinato cum ea, quæ vinculo nullo consanguinitatis, affinitatis, religionis ligata; aliàs enim, si aliquam ex his circumstantiis habeat, non esse necessariò dictum ordinem observandum, sed deponi posse tales & beneficiis privari. Tertiò observandum etiam, quòd graviter conqueritur *Garc. à n. 187.* quòd et si Pius V. in sua constitutione in Bullario s. locorum Ordinariis in virtute S. Obedientie præcipiat, ut juxta *Trid.* statuta procedant contra concubinariorum, reddituris sibi ac Deo, si id non fecerint, rationem; hi tamen ea non observent, seu observari curent, sed semper contra eos utantur pœnis pecuniariis etiam sibi bis, tertiò, aut pluries deliquerint, ità ut census annuum à concubinariis extorquere allaborent; quia nullam reus pertimescit culpam, maxime concubinariorum & carnalis, quam redimere nummis potest.

Questio 217. Qualiter probandus concubinatus, & qualiter admittatur accusatio contra tales?

1. **R**espondeo ad primum: Primò ad effectum privationis necessaria est plena & concludens probatio concubinatûs, etsi civiliter ageretur; nec sufficit probatio de publica voce & fama. *Tond. loc. cit. nu. 13. Garc. loc. cit. n. 184.* juxta *decis. Rotæ supra cit. in Tull. monasterii.* Secundò: etsi, ut sufficienter dicatur probatus concubinatus, multa requiratur *Farinacius, de delictis carnis. q. 138. n. 8. & seq.* non tamen ea omnia requiruntur in clerico; sufficit enim probare consuetudinem peccandi in domo propriâ vel alienâ. *Tond. loc. cit.* citans *Riccium, in pr. fori Ecclesiast. decis. 361. n. 6. Farinac. ubi antè n. 86. & Rotam, decis. 55. n. 1. & 139. nu. 1. p. 5. recent.* Tertiò: pro justificatione hujus objectûs non sufficit probare cohabitationem, sed debet probari ipse concubitus. *Lott. nu. 148.* citans *Natt. conf. 559. n. 3.* non tamen necesse est justificare, quòd fuerit domi propriæ detenta, aut etiam affectione quâdam maritali; etsi enim in hoc deficit proprietas hujus nominis concubinatûs secundum jus civile: non tamen deficit forma concubinatûs ad effectum punitionis. *Lott. n. 149. & 150.* citans *Decian. tr. crim. p. 2. c. 2. n. 2. Diaz, in pr. crim. c. 79. & Rot. in Metensi juris corrigendi. 19. April. 1627.*

2. **R**espondeo ad secundum primò: qualitercunque moveatur actio super concubinato, aut alio

vicio carnis, etiam ubi urgeret jus singulare mandans de juri clericum à beneficio, nisi ea actio in tempore proponatur, facile elideretur præscriptionis exceptione, cum vitia carnis in foro externo quinquennio præscribantur, juxta *cit. Rotæ decis. in Metensi. & per l. si mariti. §. prætoræ. ff. ad legem Juliam, de adulterio. & in specie de concubinato, Farinac. conf. 80. n. 18. l. 1. Lott. n. 154.*

3. **S**ecundò: parochiani ratione sui interesse in percipiendo à tali Sacramenta, & patroni, etiam laici, quia vellent præsentare alium, omnino admittuntur ad accusandû. *Garc. cit. n. 186. Lott. 155.* juxta *declar. 1. ad cit. loc. Trid.* Neque quoad hoc vis obstat, quòd sint laici aut viles personæ; nam super alio non inest, quam ut removeatur à beneficio, & ad id relinquunt accusationem suam & actionem; nihil est, quò minus hujusmodi accusatio & actio sit legitima, ut ex *Federico de Senis. Lott. n. 156.* est enim actio popularis, quæ, dum civiliter intentatur, nititur solo interesse, ut propterea non tantum cuilibet de populo, sed etiam cuilibet habenti interesse ex vicinia competere possit. *Lott. cit. n. 156.* citans *Ferret. conf. 18. n. 2. apud Mandos. ad Lap. allegat. II.*

Questio 218. An, & qualiter inducatur privatio seu vacatio beneficii ob perjurium?

1. **R**espondeo primò: Licet perjurus sit inhabilis ad beneficia obtinenda, ità ut collatio & institutio perjurio facta sit ipso jure nulla. *Parif. l. 4. q. 3. num. 10. & 11. juxta c. querelam. de jurejurand. c. constituit. de appell. c. cum nostris. de prabendis.* quos textus, uti & *Decium, in c. dilectus. de except. & Villalob. in coll. communium opin. l. p. n. 76.* citat *Parif.* nullum perjurium, quamvis gravissimum, inducit privationem beneficii ipso jure, *Castrop. de benef. d. 6. p. 3. §. 8. n. 8. Azor. p. 2. l. 7. c. 18. 6. quare perjurum. Garc. p. 11. c. 10. n. 160.* citantes pro hoc *Covar. in c. quamvis pactum p. 1. §. 7. n. 3. Abb. Felii. in c. 2. de rescript. Selv. p. 3. q. 2. num. 70. Suar. de relig. tom. 2. tr. 5. l. 3. c. ult. nu. 6. 17. 21. ac dicentes, esse communiorum contra *Rebuff. de pacis. poss. à n. 269. aliàs 223.* sed privari potest. *Garc. Azor. ll. cit. Parif. l. 5. q. 6. n. 65.* dicens esse communiorum, & citans *Felii. in c. ex parte. de rescript. Jul. clar. l. 5. receper. sent. §. perjurium.**

2. **R**espondeo secundò: sed neque ob perjurium quodcumque privandus quis est beneficio, sed solum ob perjurium judiciale, seu factum in judicio. *Castrop. Azor. loc. cit. Garc. nu. 168.* citantes *Rebuff. ubi antè. Staphil. de liter. grat. tit. de vac. mod. vacationis. §. quando quis veniat privandus. à n. 6. Diaz. in pr. crim. c. 92.*

Questio 219. An, & qualiter inducatur vacatio propter blasphemiam?

Respondeo: quidquid sit de jure communi, quòd olim privabatur beneficio blasphemus, etsi quis per capillum. *22. q. 1.* non quidem omnis, sed qui nefariis maledicti generibus Deum, vel Sanctos impetebat. *Castrop. loc. cit. nu. 9. Azor. loc. cit. §. qui maledictum. Parif. l. 5. q. 6. n. 65.* Quicquid inquam sit de jure illo antiquo, quòd aliqui quoad hanc privationis pœnam consuetudine abrogatam contendebant. *Azor. loc. cit. hodie dum Leo X. constituit. sua edita in Concil. Lateran. sess. 9. de eo sic statuit, ut quicumque Deo palam seu publice maledixerit, contumeliosisque & obicenis verbis*

D. N. Jo-

D. N. Jesum Christum vel B. Virginem expressè blasphemaverit; si sacerdos vel clericus fuerit, eo ipso die, quo de ejusmodi delicto fuerit convictus, beneficiorum, quæcunque habuerit, fructibus unius anni mulctetur pro prima vice; pro secunda verò, si ita deliquerit, & convictus fuerit, si unicum habuerit beneficium, eo privetur, si plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quod si tertio ejus sceleris arguatur & convincatur, dignitatibus, & beneficiis omnibus, quæcunque habuerit, eo ipso privatus existat, ad eaque ulterius retinenda inhabilis reddatur, eaque liberè impetrari, & conferri possint, &c. Quam penam contra blasphemos acris intendit Pius V. in constituto, sua 5. sub dato Calend. Aprilis 1566. ita ut pena illa privationis, qua vi constitutionis Leonis X. erat respectu beneficiorum, & dignitatum, restricta ad casum tertii vicis, incurratur respectu beneficiorum in secunda vice, solaque dignitates tertio lapsui referuntur; Lott. l. 3. q. 28. n. 113. addens n. 114. dubium non esse, quin hæc Pij constitutio sit lata sententiæ; etsi adhibeat hæc verba: *beneficiis ipsis privetur*, quæ aliàs futurum tempus recipiunt; eò quod expressè innovet decretum Concilii Lateran. sub Leone X. in quo decreto dicitur: *eo ipso*: unde verba illa inflectuntur ex subjectæ materiæ naturâ; ita ut sicut verba præsentis temporis, hæc ratione nonnunquam minime sint lata sententiæ, ita quandoque verba, quantumcunque in futurum concepta sunt lata sententiæ; unde clericum ipso jure privatum beneficiis tam ob blasphemiam hæreticalem, quam ob blasphemiam non hæreticalem, & utrumque æquiparari hæretico, ait Lott. n. 105. Castrop. tamen loc. cit. ait ex dictis id illa constitutione Leonis X. patere, blasphemum nunquam privari ipso jure beneficiis, quousque hujus criminis declaratoria sententia accedat: quod non negabit Lott. si referatur declaratoria ad executionem seu spoliationem de facto, uti dicit de hæretico.

Questio 220. An, & qualiter sacrilegus privetur beneficiis?

Respondeo: Etsi sacrilegus impediatur consequi beneficium, c. venerabilem. de elect. Paris. l. 4. q. 3. n. 23. Garc. cit. c. 10. n. 174. citans Corraf. Rebuff. &c. sicque infamis & irregularis, c. infames. q. 1. AA. ijdem. Castrop. cit. §. 2. n. 6. non est tamen ipso jure privatus beneficiis, cum nullus sit textus annectens hanc penam cuilibet sacrilegio. Garc. Castrop. ll. cit. sed solum est privatione dignus; & venit privandus juxta c. si quis presbyter. 50. dist. Castrop. loc. cit. Garc. n. 173. citans Rebuff. tit. de mod. amitt. benefic. n. 65. & de pacif. possess. n. 248. aliis 202. Diaz. in pract. c. 87. nu. 2. Porro de sacrilegis in specie ob percussorem vel occisionem Cardinalis, Episcopi, Clerici dictum supra.

Questio 221. Quid hac in parte dicendum de furibus, usurariis, incendiariis, ac similibus?

Respondeo in genere: Propter hæc & similia crimina, dum non sunt de exceptis, regulariter non vacant beneficia ipso jure, sed duntaxat per judicis sententiam, & privationem. Et quidem non nisi, ubi talis pena exprimitur à jure. Tond. p. 1. c. 27. n. 2. citans Rebuff. in pr. de mod.

amitt. à n. 50. & communiter nullum crimen inducit privationem ipso jure, paucis exceptis, de quibus in antecedentibus, Paris. l. 3. q. 16. n. 5. citans Selv. p. 3. q. 2. n. 9. & requiri sententiam declaratoriam in omni crimine magis commune, dicit Paris. ibid. n. 6. citans Bursat. consil. 14. n. 18. v. 1. Eadem habet Paris. l. 7. q. 2. n. 9.: ubi regulariter nullum crimen inducit privationem ipso jure absque declaratione. Gabr. conf. 196. l. 1.

Questio 222. An beneficium incarcerantis clericum, usque dum ei resignet beneficium suum, vacet ipso jure?

Respondeo affirmative: Gonz. gl. 15. n. 81. Barb. juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 50. citans Vivian. Chok. juxta Clem. multorum. de panis.

Questio 223. Quid dicendum ad hoc de ijs, qui non iniuriati presbyterio missas dicunt, & penitentium confessiones audiunt?

Respondeo: Vi constitutionis Clem. VIII. quæ est illius 18. & quæ is nefarios istiusmodi homines jubet à iudicibus S. inquisitionis, vel locorum Ordinariis tanquam Ecclesiæ misericordiæ indignos à foro Ecclesiastico abjici, & ab ordinibus Ecclesiasticis, si quos habent, ritè degradatos statim Curia seculari tradi debitis pœnis puniendos; ante hanc degradationem non videtur inducta vacatio beneficii, si quod habent; facta tamen illa degradatione, de illa vacatione non est dubitandum, cum actualis degradatio implicet avulsionem personæ ab altari. Lott. l. 3. q. 31. à n. 16. dicens n. 18. in hoc ampliata esse penam antiquorum canonum, vi quorum tantum suspendebantur, permittà Episcopo potestate super beneficio dispensandi. Neque in hoc locus est expectationi corrigibilitatis, ut patet ex dicta Constitutione. Lott. n. 19. qui etiam subjungit n. 23. pœnas privationis beneficiorum, aliisque usque ad degradationem statutas contra sollicitantes in confessione, vel ejus occasione feminas vel pueros ad turpia vi constitutionis Gregor. XV. quæ est 34. sub dato 30. Aug. 1612. esse remissas arbitrio iudicum. Vide de his Lott. à n. 20.

Questio 224. An ob crimen simulationis, dum nimirum quis alium se simulans pro obtinendo beneficio, se ipsum supponit pro alio id etiam ignorantibus examini, ut beneficia obtineat, & sic postmodum cum iis de istis beneficiis tractat, etiam per simoniacam pravitatem, vacent ipso jure omnia beneficia istius simulantis?

Respondeo affirmative; sic enim expressè statuit Paulus IV. in Constitutione sua 33. quæ incipit inter ceteras, edita 16. Nov. 1557. Castrop. cit. §. 8. n. 20. Gonz. gl. 15. n. 89. ad fufum recitans dictam constitutionem Pauli IV. Barb. juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 59. Lott. l. 3. q. 29. à n. 110. quem vide. Idem esse in eo, qui dum potestatem conferendi habet, adeoque sibi ipsi beneficium conferri nequit, alium suo loco ponit vel substituit, ut hic substitutus ei beneficium conferat; tradit ibidem Lott. n. 111. Item idem est in eo, qui pro seipso impetrat beneficia cum intentione illa mox resignandi in favorem, reservatâ, vel non reservatâ pensione. Lott. ibidem, Gonz. l. cit. n. 90.

Item

Item in iis, qui annuas pensiones offerunt, aut impetrant beneficia pro aliis, ut ab iisdem aliquid consequantur; Gonz. n. 89. hos enim simulatores omnes ferit dicta Constitutio Pauli IV. tanquam simoniacos (intellige confidentiales) Lott. n. 110. Etsi enim aliud commodum nullum temporale appareat, in tali constituto collatore, quam quod fuerit facta illa substitutio per concessionem potestatis conferendi; quin & in altero casu recipientis beneficium, ut illud alteri resignet, sufficiat commodum illud, quod est in eo, quod quis satisfaciat voluntati suae in gratificando amico, ita ut nec ideo minus in hisce arguatur praecedens pactum simoniacum; concessa nimirum argumentatione pacti praebuli ab effectu secuto; quod admittitur etiam ad praesumendum delictum. Lott. an. 111. His itaque omnibus in dicta constitutione ultra excommunicationem laeae sententiae soli Papa reservatam, & nullitatem talium provisionum, & inhabilitatem ad omnia beneficia, imponitur poena privationis omnium beneficiorum obtentorum eo ipso absque alia desuper facienda declaratione incurrenda. Gonz. loc. cit. n. 90. dicens, ut ad hanc vacationem attendatur, quia paucis est nota, & quia plures incidunt in poenas dictae constitutionis, se constitutionem ipsam hic inferere.

Quaestio 225. An, & qualiter inducatur privatio & vacatio beneficiorum ob crimen laesae majestatis humanae commissum?

Respondeo: Incurritur propterea a beneficiato poena privationis beneficiorum ipso jure Castrop. cit. s. 8. n. 3. Barb. juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 52. Gonz. gl. 15. n. 72. Lott. l. 3. q. 30. n. 71. & 72. citans in super Rebuff. in pr. tit. de modo amitt. n. 32. Marechot. var. resol. l. 2. c. 35. Porro hoc crimen duplici modo patrat, nempe directo vel indirecto, prout nimirum, qui machinatur seu aggreditur quid cedens directe vel indirecte in turbationem seu laesionem securitatis Reipub. Sic directo modo patrat, cum quis hostili animo adversus Rempub. vel principem (neque enim respectu hujus criminis resp. a principe, aut is ab ea separandus, ita ut ex laesione unius sequatur laesio alterius, & hinc, dum volunt aliqui solum illum perduellem esse, qui in personam principis insurgit, id aliter intelligi nequeat, quam de persona principis, prout in principe ipsa Resp. representatur, Lott. n. 72. & 73. & sic quoque rejicienda eorum sententia, qui tradunt, non committi perduellionem ab illis, qui ex odio praecise personae principis in ejus personam machinantur quid: Lott. an. 16.) animatur seu insurgit, in quo casu crimen hoc nomen specificum perduellionis sortitur, Lott. loc. cit. n. 65. & per illud indubitate dictam poenam privationis ipso jure induci, ait Lott. n. 71. citans Ferret. cons. 31. an. 8. Et sic perduellionis reus censetur is, qui laedit securitatem Reip. turbando ejus tranquillitatem, sive immediate per occupationem alicujus arcis, urbis, aut territorii (qualiter in Constitutione Leonis X. quae est in Bullario 13. declarantur rei laesae majestatis ex hoc capite, quicumque etiam Reges ac Principes, qui terras vel loca mediate vel immediate ad Romanam Ecclesiam spectantia invadunt, & si clerici sunt, privantur ipso jure absque omni citatione aut declaratione criminis vel privationis omni beneficio, officio, administratione, dignitate, Epi-

scopatu, Cardinalatu) aut per alias hostiles incursiones; seu mediate offendendo personam principis, ex quo talis offensa reflectit in eandem Reip. perturbationem securitatis. Lott. an. 30. Circa quam tamen principis offensa, ait idem Lott. n. 85. per contumeliosa dicta jactata in principis personam committi quidem crimen maledicti, non tamen laesae majestatis: Dum vero alia offensa fertur quidem in personam principis, citra tamen turbationem tranquillitatis publicae, eo quod offensa talis sit, ut neque affectus, neque effectus eo quoque, hoc est, ad dictam perturbationem se valeat extendere; ut si corrumpatur, vel dehonestetur principis imago, committitur quidem crimen laesae majestatis, sed distinctum a perduellione Lott. an. 86. sive dicitur laedi majestas per obscurationem tantum. Unde licet cutores falsa moneta efficiantur rei laesae majestatis; non tamen pleuntur poenam statutam perduellibus. Lott. cit. n. 86. atque ita

2. Respondeo secundo in specie primo: Falsificantes literas Apostolicas sunt rei laesae majestatis, etiam ex mente L. Juliae; quin & dicta falsificatio cedit in turbationem publicae tranquillitatis, dum sub fide publica tali modo quis decipitur, ac vel hinc dictae beneficiorum privationi ipso jure subjiciuntur. Lott. an. 90. Secundo: committitur hoc crimen non solum per eos, qui vitam principis veneno vel ferro percutunt, sed & qui in vulgus spargunt de instante obitu principis, non ut solum ejus splendor obscuretur, & detrahatur majestati, sed & ut laesio talis publicam perturbet tranquillitatem. Lott. an. 94. Hinc expressè Urban. VIII. in constitutione sua, quae est in Bullario 113. & incipit: *Inscrutabilis*, clericos beneficiatos hujus criminis reos (sive qui divinationis praetextu ex astris, aut aliis hujusmodi imposturis, de salute, vita & morte Romani Pontificis pro tempore existentis, ejusque consanguineorum usque ad gradum tertium inclusive, vel aliter de mutatione status Reip. enuntiant, aut hujusmodi enuntiantes ariolos, aruspices, vaticinatores, astrologiam experientes consuluerit, sive eorum judicia prognostica, praedictiones, etiam sibi oblatas receperit; illisque quomodolibet usi fuerint, vel scienter apud se retinuerint, &c.) inter ceteras poenas huic privationi beneficiorum ipso jure incurrendae subiacet. Lott. an. 95. inferens ad usum dictam illam constitutionem. Tertio: hoc crimen committunt, seu maxime laedunt majestatem Pontificis summi, quia princeps temporalis est, eodemque contextu labefactant securitatem Reip. qui praetextu causae apparentes persuadent Papa alienationem alicujus partis temporalis ditionis contra decretum Symmachi c. non liceat. 12. q. 1. cum vel sic redditor princeps despectus populo, & maxime iis, qui quasi servi & mancipia alienantur. Lott. n. 103. Hinc Pius V. in Constitutione sua, quae est in Bullario 35. & incipit: *admonet nos*, tales declaravit reos laesae majestatis, & perduelles, & inter alias subjecit privationi beneficiorum omnium ipso jure incurrendae. Hanc quoque Bullam verbotenus recitat Lott. Quarto: hoc crimen majestatis laesae, quin & perduellionis committit, qui vel unius Cardinalis personam hostiliter fuerit infecutus, juxta c. felix. de panis in 6. & hinc jure ipso privatus existit beneficiis, poena hac respiciente in hac hostili infecutione dictum crimen perduellionis (quippe Cardinales lateri Pontificis

immediatè adhaerentes, dicuntur unum cum hoc suo principe efficere spiritum) non autem sacrilegium, dum pro sacrilegio, ut dictum, pena hæc privationis nullibi statuta, nisi in certis casibus; puta percussione Episcopi, occisione vel mutilatione Rectoris Ecclesiæ juxta dicta superius. Lott. n. 109, & n. 110. Quam penam Leo X. in constitutione sua in Bullario 16. extendit ad eos, qui dum habentur comitia pro eligendo Papa prætextu assumptæ personæ alicujus Cardinalis in Pontificem, in illius ædes irruerent, ut aliàs fieri consueverat. Nec non ad eos, qui sceleris hujusmodi essent quovis modo participes, aut fautores. Lott. loc. cit. nu. 109. Quirò: hoc crimen perduellionis non minis incurrit is, qui magistratum aliquem, quam qui personam ipsius principis offenderet; consistente hæc offensæ magistratûs in eo v.g. quòd quis ejus auctoritate præter lites ac controversias, sive criminales, sive civiles foro velit dirimere, aut provocando ad singulare certamè adversarium, aut vindictam propriis manibus, etiam contra innocentes fumendo. Lott. à n. 117. Unde emanavit Constitutio Pij IV. quæ in Bullario est 21. per quam declarantur duellantes omnes criminis majestatis rei, & quæ obtinent beneficia Ecclesiastica, ipso jure ipsidem privati, ita ut, qui ex hoc capite impetraret, minimè teneatur probare formalitatem duelli, ut Farinac. in pra. crim. q. 119. n. 24. Lott. n. 119. Item Constitutio Pauli II. quæ est in Bullario 4. contra sumentes vindictam, quam transversalem vocant, quos eodem reatu, eisdemque, quibus duellantes, penis teneri declarat; cum tales per violentiam hæc & factiones turbent publicam tranquillitatem; Lott. n. 120. Item Constitutio Pij V. 145. declarans eos reos læsæ majestatis, & privatos ipso jure omni beneficio officioque Ecclesiastico, qui deferunt arma Sicariorum, dum per hoc resultat trepidatio inter cives; nec tuti sunt sub auctoritate Magistratuum, necesse est securitatem, & tranquillitatem maximè per hoc turbari. Lott. n. 121. & 122. Item, quia eadem magistratûs offensæ contrahitur, & turbatur tranquillitas publica per hoc, quòd quis motâ judicialiter controversiâ adversarium suum, aut alterum pro eo litem sequentem aut procurantem, sive advocatum aut procuratorem, judicem, testem, Notarium, vel Scribam minis afficere, invadere, verberare, mutilare, occidere, seu per alios talia procurare aut exequi quomodolibet præsumeret; etiam si mutilatio vel mors indè non sequatur; nec non qui eundem reciperet, defenderet, occultaret, etique consilium, auxilium, favorem publicè vel occultè, directè vel indirectè præstaret; hinc, inquam, hujusmodi omnes Alexand. VII. in Constitutione sua 11. decernit reos læsæ majestatis, & in consequens sententiam depositionis à quocunque honore, dignitate, ordine, officio & beneficio ipso facto incurrere. Lott. n. 123. dicens, quòd Constitutio hæc habita semper pro materia favorabili; & hinc quamvis loquatur de causis pendentibus in Curia Romana, complectatur tamen etiam factum hujus violentiæ non tantum extra Curiam, sed etiam extra statum Ecclesiasticum, modò tamen occasione litis pendens in Curia commissum; & cum verbum illud præsumeret denotet dolum, & temeritatem, illum, qui impetraret innoxius hæc Constitutioni, deberet talem dolum & temeritatem probare, tradit Lott. n. 124. subjungens n. 125. dolum hunc, ac ita præsumptionem &

P. Leuren, Fori Benef. Tom. III.

temeritatem excludi, si appareat de alia causâ quam litis, cum sicut aliâ causâ non apparente, præsumitur offensâ facta occasione litis, ita aliâ causâ cessante, cessat hæc præsumptio, vide de his eundem Lott. fusè. Item quia apertius in Magistratus insurgeret, qui eorum jussu apprehensus se in alicujus potentis ædes proriperet, Franchiam acclamando, hic unâ cum defendentibus & eximentibus eum per Constitutionem Julii III. 17. & pluries in Constitutione Greg. XIII. 11. declaratur reus læsæ majestatis in primo capite, hoc est, perduellionis; & si beneficiatus fuerit, subicitur pena privationis beneficiorum ipso jure. Lott. n. 140. subjungens n. 141. idem esse in Constitutione Greg. XIII. 65. innovatoria Constitutionis 37. Leonis X. & 27. Pij 4. de receptoribus capitaliter bannitorum, vel receptionem curantibus, vel capturam eorum impediens, captivè eximentibus, vel ipsis iudicibus eorumve ministris eos persequentibus, offendiculum aliquod objicientibus. Denique crimen læsæ majestatis penâque pro eo statuta incurrit, qui Imperatoris (idem, etsi fortè magis specialiter de Imperatore ob majorem ejus cum sede Romana confederationem seu connexionem, videtur esse in alio supremo Principe feudum Ecclesiæ recognoscens, ut Lott. cit. q. 30.) Majestatem offenderet, non quidem directè, sed per quandam consequentiam; nimirum vi dictæ confederationis (de qua multa Lott. in prima parte quest. illius 30.) ita ut læsæ Imperatore sic quoque læsæ videatur majestas Papæ. Lott. n. 142. citans pro hoc Barth. Menoch. &c. occasione hujus,

Questio 126. An igitur, & qualiter Clericus hoc crimen læsæ majestatis principis alicujus secularis, v.g. per proditionem patriæ vel Principis, vel falsificationem monete incurrere possit, & exinde prædictis penis subijci; cum non sit subditus jurisdictioni seculari seu laicali; siquidem ad hoc, ut crimen hoc committi possit, requiritur subiectio; ut pluribus ostendit Marthæ de jurisdictione. p. 4. cent. 2. casu. 133. à n. 4.

Respondeo ad primum: Clericus offendendo majestatem principis alicujus supremi, committit hoc crimen, Lott. cit. q. 30. n. 144. citans Farinac. ubi supra q. 112. & 232. Præposit. in c. imprius. 2. q. 1. n. 3. Idque secundum c. si quis Laicus. 22. q. 5. quod ait, à dictis AA. ad hoc ponderari & non esse paleam, ut volunt aliqui, sed verum textum desumptum ex generali Concilio Toletano 16. n. 9. Et dato quòd sit palea, totum tamen decretorum librum unâ cum paleis approbatum ab Eugen. III. tenent omnes, ut Marthæ loc. cit. n. 32. Sed etsi ad dictum crimen requiratur subiectio, seu, ut quis sit subditus ratione originis, non tamen ratione feudi, ut ostendit idem Marthæ. l. c. à n. 10. hæc tamen subiectio non necessariò respicit jurisdictionem laicalem seu imperii, seu non est subiectio, quâ clericus dictæ jurisdictioni subjacet; cum per clericatum ab ea sit solutus; c. cum non ab homine. de judic. & ibi DD. Covar. præf. qq. c. 31. ex n. 1. Surd. consil. 301. n. 16. Suar. in clyp. fidei. cath. l. 4. ex c. 3. per tot. eum librum, sed respicit subjectionem respectu participationis Reip. & integritatis corporis illius, semelque præstiti

K

præstiti

præstiti juramenti fidelitatis, cujus nexus nihil habet commune cum jurisdictione. Lott. à n. 147. Neque enim laicus effectus clericum per clericatum definit esse civis vel pars populi ac Reip. nec distinctus. Lott. à n. 150. citatis pluribus.

2. Respondeo ad secundum: ob læsam majestatem principis secularis (saltem præscindendo ab isto effectu dictæ confederationis illius cum Sede Apostolicâ, ut Lott. n. 155. non videtur quis ipso jure esse privatus beneficiis; cum *cit. canon. si quis laicus*, non utatur verbis, quæ sententiam juris important, & dum dicit, & statuit, ut clericus conjurans contra principem degradetur & deponatur, intelligitur communiter de degradatione verbali. Lott. *cit. n. 55. Martha loc. cit. à n. 31. quin & n. 34.* ex Afflictis subdit, se nunquam vidisse clericos privari beneficiis ob rebellionem commissam in Dominum secularem. Item esse arbitrium Episcopo, an velit illum privare beneficiis; quia non reperitur in jure certa poena diffinita contra clericum rebellantem adversus Dominum temporalem. Ac denique n. 35. quoddam tantum posse esse injuria illata principi per clericum, ut possit privari beneficiis. De cetero illum esse deinceps inhabilem ad beneficia, quia infamis. Addit quoque Lott. quoddam si iudex laicus laicum damnet majestatis læsæ, non propterea eum censerit privatum jure patronatus; citat pro hoc Gl. in Clem. 2. de sent. & de re judic. v. subiecta. & Rotam in Agathensi jurispr. 4. Martij. 1602.

Quæstio 227. Quis sit competens iudex in cognoscendo crimine læsæ majestatis respectu Clerici?

Respondeo: Non esse alium, quàm iudicem Ecclesiasticum. Argumento *c. si laicus*. Lott. n. 153. citans Gigas de crimine læsæ majest. Rubric. de crim. læsæ majest. cognosc. post n. 12. Farinac. q. 8. n. 29. Martha loc. cit. n. 27.

Quæstio 228. An, & qualiter hæresis inducat privationem, seu vacationem beneficiorum?

Respondeo: Ob hæresin incurritur privatio beneficiorum jam obtentorum, seu præhabitorum ante hæresin ipso jure. Tond. 99. benef. p. 1. c. 34. n. 4. Castrop. de benef. tr. 13. d. 6. p. 3. §. 8. n. 2. Paris. l. 3. q. 1. nu. 32. Gonz. gl. 15. n. 65. Azor. p. 2. l. 7. c. 17. q. 1. Lott. l. 3. q. 28. n. 28. & 32. ubi multos pro hac sententia refert Garc. p. 11. c. 10. n. 60. citans quàm plurimos. Barb. juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 46. contra Alphon. de Castro. tr. de cathol. instr. rit. 46. n. 72. Lopez ad Diaz. in pr. crim. l. 3. c. 13. q. 8. Zerol. in pr. p. 1. v. privatio. &c. tenentes, hæreticum solum venire privandum per sententiam; eod quoddam nusquam in jure invenitur hæc poena constituta verbis significantibus sententiam ipso jure, quorum sententiam in rigore juris disputando posse defendi, censuit teste Lott. loc. cit. n. 24. Barb. de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 57. & in collectan. ad c. ad abolendam. n. 6. Sed neque responsio nostra ultra manifestam juris rationem destituitur textibus hanc pœnam privationis ipso jure irrogantibus. Lott. *cit. n. 28.* Nam præterquam, quoddam pro eo allegetur à Coraf.

de benef. p. 2. c. 4. Azor. loc. cit. Roffinian. Duareno, & aliis textus *c. cum secundum. de hæresic. in 6.* In quo licet nullâ mentione beneficiorum factâ, solum bona hæreticorum ipso jure confiscantur; verbo tamen bonorum comprehendi etiam beneficia Ecclesiastica, ex Rebuff. in pr. tit. de simon. in resig. n. 31. & Quintadven. l. 2. Eccl. n. 3. & 93. tradit Garc. n. 66. addens, quoddam quamvis in beneficiis locum non habeat confiscatio; quia tamen sunt transitoria ad fiscum, habere tamen locum privationem. Item à Gonz. Azor. Quintad. Parisio, & aliis allegatur textus, *c. ad abolendam. de hæresic. ubi*; omni officio & beneficio spoliatus Ecclesiasticus, secularis relinquatur arbitrio potestatis. Quominus tamen verbum illud spoliatus importat executionem, & hinc denotet privationem ipso jure facere verba illa immediate præcedentia: totius ordinis Ecclesiastici prerogativa nudetur; quæ important privationem per sententiam; tradit Garc. n. 64. præter hos textus, aliisque similes, est clarissima desuper constitutio Nicol. III. 5. Non Martij. 1280. quæ incipit: *Noverit universitas*, ubi sic dicitur. §. 21. hæretici autem & receptatores, defensores & fautores eorum, ipsorumque sibi usque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium seu officium admittantur, quod si secus autem fuerit, decernimus irritum & inane; nos enim predictos ex nunc privamus beneficiis, volentes, ut tales & habitus perpetuè careant, & ad similia nequaquam posterum admittantur; ubi verba illa: *ex nunc privamus*: hujusmodi esse privatos ex sententia juris, seu ipso jure denotant; quippe quæ præveniunt quamcunque judicis declarationem: Lott. n. 29. citans Suar. de ll. l. 5. c. 7. n. 7. Sayr. in clav. reg. l. 3. c. 8. n. 27. Monet. de distrib. p. 3. q. 7. n. 37. Barbof. claus. 118. n. 7. Porro hæc Constitutionem, licet non sit inserta libro 6. decretal. non esse tamen per proœmium istius libri 6. abrogatam, ait Garc. n. 7. cum constitutiones editæ super negotio hæreticæ pravitatis non contrariæ constitutionibus ejusdem libri 6. reserventur in c. fin. de hæresic. eodem lib. ut notat Gl. in cit. proœm. v. reservantur. Est item constitutio Pauli IV. in Bullario 19. edita 15. Kal. Martij. 1559. & incipit: *cum ex Apostolatus officio*, quâ diffusibus & expressis istiusmodi inter alias poena privationis ipso jure talibus irrogatur. Ejusdem tenorem ad fufum vide quoque apud Lott. à n. 34. Proinde non obstat responsioni nostræ *c. ut commissi. de hæresic. in 6.* ubi inquisitoribus & Episcopis Bonifacius VIII. indulget facultatem istiusmodi privandi, vel privatos denunciandi beneficiis Ecclesiasticis, siquidem hoc canone posterior est dicta Constitutio Pauli IV. Quin & optimè concordat cum dicta Constitutione Nicolai III. quâ posterior est iste canon; quippe quoddam in eo de privatione faciendâ dicitur, refertur ad spoliationem de facto; quandocunque enim canon mandat aliquem spoliari beneficio, necessario supponit eundem jam privatum à jure, refertque eam spoliationem ad executionem de facto. Lott. à n. 30. juxta doctrinam Butrii in cit. c. ult. de postul. sub n. 15. quam doctrinam Butrii passim ab Auctoribus recipi, & speciatim à Rebuff. tr. de pacif. possess. sub n. 228. ait Lott. n. 31. De cetero in hoc casu hæreticos semper exigi sententiam declaratoriam criminis, antequam deveniatur ad spoliationem de facto juxta c.

cum secundum de heret. in 6. tradit idem Lott. n. 37. citans Burlatt. consil. 14. n. 18. l. 1. Surdum. decis. 247. n. 2. Et sic, licet ante huiusmodi declaratoriam possint beneficia veluti vacantia impetrari, ante hanc tamen non teneri hereseos postulatam abdicare possessionem, tradit Barbof. citans Paris. l. 1. q. 3. n. 2. Sanctarell. Decian. &c. Lott. n. 38. citans Menoch. de arbit. cap. 416. n. 62. Sanch. in sum. c. 26. n. 1. & plures apud Barb. in collect. ad c. ad abolendam. n. 8. ac dicens, sic declarari à Suar. et si is visus sentire contrarium. Tom. 1. in 3. p. d. 43. l. 1. n. 4. unde sequitur, non posse provisum ex hac vacatione possessionem capere, intruso non citato & negotio cum eo discusso. Lott. n. 39. cit. Comes ad reg. de annali. q. 52. & Rotam. Quod verò attinet irregularitatem, adeo que inhabilitatem, quam incurret hereticus ad obtinenda beneficia, de hoc vide Garc. à n. 30. & dicta à nobis aliàs de electione.

Quaestio 229. An comprehendantur dicta pena privationis ipso iure heretici occultis & qui mox ab heresi respiciunt?

1. Respondeo ad primum: indubitatum esse non incurri eam poenam per heresim solà mente conceptam, cum Ecclesia occulta mentis peccata non puniat. Azor citato c. 17. §. primo quaeritur. Sed neque dum heresis est exterior, sed occulta, incurritur hæc poena secundum quosdam, ut ratio eorum nomine refert Azor ibidem; sed solum ob heresim manifestam; vel per sententiam iudicis, vel evidentiam facti, vel propriam rei confessionem in iudicio (quippe manifestus hereticus dicitur, secundum gl. in c. ad abolendam, qui se talem esse profiteretur, & asserit; vel qui pro tali damnatus est, vel qui prædicat dogma hereticum, aut asserit vel defendit) contrarium sentientibus aliis apud eundem Azor.

2. Respondeo ad secundum: delictum illud hereseos pro incurrendis poenis non consumitur in errore contra fidem, sed in pertinacia. Lott. n. 40. citans Turrecrem. in c. dicit Apostolus. ex n. 5. Cardin. in c. excommunicamus. si primo de hereticis. n. 2. & 3. Farinac. de heres. q. 173. n. 16. C. Paris. consil. 1. n. 199. l. 4. Hinc impeditur hunc incursum poena, si è vestigio, ut quis de heresi arguitur, sponte errorem suum recognoscat; cum talis infirmulatus è vestigio respiciens eo ipso censetur reverfus ad pristinum statum; & per poenitentiam reincorporatus Ecclesie, ante sententiam declaratoriam non fit hereticus, & sic impediatur sententia illa declaratoria; Lott. n. 48. & 41. remittens ad Rebuff. in pr. p. 3. in principio. ex n. 5. ubi ponit requisita ad hoc, inter quæ requisita illud est aut postularus hereseos mox agnoscat errorem suum, positive fatendo delictum; nam de cetero ad effugiendam poenam illam non sufficere, quòd, ubi quis citra propriam confessionem diceret omnia quæ sibi adscribuntur, se non eo sensu fecisse vel protulisse, ut diversus ab Ecclesia abiret, sed semper credidisse & credere, quidquid credit S. mater Ecclesia (potest siquidem non confessus condemnari) tradit ibidem Lott. n. 42. & 43. Qui etiam indè infert n. 49. talem hereticum mox; ut infirmulatus, respicientem iuvare regulà de annali, eò quòd nondum securà declaratoriam super pertinacia facto, nihil sit, quin regula locum habeat; quippe quæ contentatur simplici detentatione de facto, cui detentationi, quò minus hereticus incumberat, nihil contrarium à iure decusum; male autem ex eo sen-

P. Lauren. Fori Benef. Tom. III.

fisse Sarnensem, faturam quoque regulam Judæis & foeminis detinentibus beneficia, rectè ostendit Lott. n. 55. nam quòd quis sit judæus vel foemina, est notorium per demonstrationem facti permanentis, & sic per evidentiam: Unde & consequitur incapacitas persona, etiam quoad simplicem detentationem, quòd applicari nequit heretico nondum declarato per sententiam. E contra non favere hanc regulam postquam talis per sententiam declaratur, eò quòd regula non defendat eum, de cuius non titulo constat notoriè; sed satis notoriè constat de non titulo heretici declarati per sententiam tradit Ricciullus de iure personarum extr. agrerium Ecclesia existentium. l. 5. c. 19. n. 17. apud Lott. cit. n. 55.

Quaestio 230. An, & qualiter dicta poena privationis comprehendat receptatores & fautores, & filios hereticorum?

1. Respondeo ad primum: quidquid sit de iure communi decretalium, in quo nihil de privatione ipso iure horum receptatorum &c. sed solum eos privandos per sententiam beneficiis obtentis ante heresim, & privatos nunciandos illis, quæ post heresim obtinuerunt, Garc. loc. cit. n. 68. & 69. iure tamen speciali & novo, nimirum stante dicta Constitutione Nicolai III. & Pauli IV. dubium non est, comprehendi quoque receptatores, fautores, & defensores hereticorum (qui ut Castrop. hereseos suspicionem iudicam contrahunt) Garc. loc. cit. Azor. loc. cit. Lott. n. 36. contra Castrop. loc. cit. n. 2. Covar. l. 2. variar. c. 8. n. 4. & qui de hoc dubitavit, Sanch. cit. c. 36. n. 16. de quibus ait Lott. eos id nunquam revocatos in dubium, si observassent seu reflexissent ad illam Nicol. III. constitutionem.

2. Respondeo ad secundum: filii hereticorum usque ad secundam generationem, ut statuitur c. 2. de hereticis in 8. ab Alex. IV. (quod ipsum in c. statutum. eodem tit. & lib. à Bonifacio octavo extenditur quoque ad descendentes per lineam foeminam usque ad primam tantum generationem, dum prius ante hanc decretalem ne quidem filii mulieris heretica huic poena subicerentur) non solum inhabilitantur simpliciter ipso iure vi dictorum textuum ad omnia beneficia Ecclesiastica obtinenda. Lott. n. 59. Idque sive legitimi, sive illegitimi, ne plus consequatur luxuria, quam castitas. Lott. n. 71. citans Sanch. in sum. l. 2. c. 27. n. 1. Surd. conf. 386. n. 6. Barb. ad e. cit. statutum. n. 14. Item sive sint nati ante commissum delictum, sive post illud. Lott. n. 72. citans Menoch. de presump. l. 5. presump. 33. n. 14. & n. 73. subjungens ex Sanch. cit. c. 27. n. 28. Ad hoc nihil exigi, quàm quòd in iudicio legitime constet, parentes fuisse hereticos, vel fautores, defensores aut receptatores eorum, & cum hac qualitate decessisse (secus enim est, si constaret eos, antequam decederent, emendatos, & reincorporatos Ecclesie unitati. ut Lott. n. 74. nullà etiam factà in hoc distinctione inter relapsos & non relapsos, ut pluribus ostendit Lott. n. 77.) quantumcunque non probetur eos super heresi non fuisse sententiatos; dummodo hoc notoriè liqueat, id est, per evidentiam facti, vel ex propria iudiciali confessione. Vide de hac inhabilitate ad obtinenda plura dicta à nobis in x. part. ubi de qualitatibus requisitis in beneficio. Verum etiam privati videntur iure ipso beneficiis prahaberi. Lott. n. 81. dicens in hoc mo-

K 2

dd

ad sublatam esse omnem dubitationem, per dictam Constitutionem Nicol. III. (quam postmodum innovarunt alii aliorum Pontificum constitutiones; ut Rota fuscè decis. 123. p. 2. recent. n. 16. ubi etiam. n. 12. id extendit ad pensiones ex lata significatione tantum beneficii) sic in individuo decidit; cum relativum illud, *pradictos*, ut Lott. n. 86. nimis nota sit significationis, ut repetat omnia expressa cum suis qualitatibus. Tenent eandem Garc. n. 72. & 74. citans pro ea Jo. And. Dominic. Franc. & Auctores passim in c. ut commissi; Gigas de crim. lese majest. l. 7. tit. de penis, quas filii incurrunt; q. 1. n. 3. Lamb. de jure p. 1. l. 2. q. 9. n. 6. n. 7. qui etiam illud ad pensiones prius obtentas à filiis huc extendit juxta decis. Rota paulò post citand. & n. 77. dicens, hanc sententiam tanquam magis de jure veram & communiter receptam amplectam esse Rotam, in Conchens. pension. 6. Martii. 1568. quam quis, ut ait, optima, & hanc sententiam exactè probat, ad fuscum subjicit n. 79. In qua decisione Rota prius præmittit, prout necessariò ad hanc sententiam defendendum, supponendam ait conclusionem communiorem, nempe filios natos ante hæresin patris, penis canonicis affici & comprehendendi; pro ut id ipsum defendunt Gomez. to. 3. variat. c. 2. n. 16. Menoch. de præsumpt. l. 5. præsumpt. 33. n. 17. Gutt. can. 99. l. 2. c. 30. n. 37. Roxas. de hæresic. p. 2. n. 354. Lopez. Penna, Velaq. & alii apud Covar. l. 2. variat. c. 3. n. 5. contra Molin. de primogen. l. 4. c. 11. n. 55. Ugol. de irreg. c. 36. §. 1. n. 6. Molin. de just. to. 3. d. 658. n. 21. Rodrig. in sum. to. 1. c. 129. n. 5. Ledesm. Cevall. & alios apud Garc. n. 78. Nihilominus sententiam contrariam, nempe quòd filij & nepotes hæreticorum non sint privati, nec privandi beneficiis antè obtentis tenent Abb. Felin. in c. vergentis. Rebuff. in pr. tit. de mod. amitt. n. 25. Covar. ubi antè n. 4. Tolet. in sum. l. 1. c. 69. n. 9. Suar. to. 5. d. 43. sec. 3. n. 2. Tholosan. Auferius & alii apud Garc. n. 75. Quin & Lott. n. 90. ait, se existimare respectu descendens per foeminam, etiam si sit in primio gradu, nimirum filius matris hæreticæ, nunquam censei aliquem privatam ipso jure beneficiis ex Constit. Nicol. III. utpote quæ loquitur de descendens ex masculo; & licet masculinum concipiatur aliàs seu comprehendat foemininum, maxime dum agitur de nomine communi utriusque sexui, etiam in materia stricta, odiosa & pœnali, ut latè Tiraq. de retr. ad. l. 1. gna 9. §. 1. gl. 9. ex n. 205. & tamen militat eadem ratio respectu matris, quæ respectu patris in afficiendo eadem pœnâ filium; dum nimirum filius, ut suadet ratio naturalis, foeminâ non concurrente ad generationem, magis affimilatur patri, cujus pars est & natura, ut Aristot. minùs impellat filios in mores maternos, quàm paternos; quod tamen sæpè fallit. Lott. à n. 90. juncto n. 66. & 69. Nec obstat quòd cit. cap. statutum. expressè comprehendat filium matris hæreticæ; nam textus ille tantum loquitur de inhabilitate ad obtinenda, quam ob atrocitatem criminis ad talem filium extendit; non verò de privatione ipso jure jam obtentorum, Lott. n. 94. articum hunc, nimirum, quòd filius matris hæreticæ non incurrat hanc privationem, non esse omnino clarum; & si quis impetraret beneficium talis ex suppositione hujusmodi privationis ipso jure ob hæresin maternam, satis fundare intentionem suam super implicita declaratione istius dubij factâ per Papam, cui circa modum vacandi ex juris dispositione omnino statur; quantumcunque enim crimen, quod supponitur, non inducit vacationem

ipso jure, si tamen in literis apostolicis aliud inveniatur, statuerit literis, & sustinetur veritas talis vacationis in assertione Papæ juxta celebre Anchirani consilium 293. ex n. 6. quod secuta fuit Rota, & Felin. in c. 2. de rescrip. n. 4.

Quaestio 231. An, & qualiter eadem pœna privationis ipso jure beneficiorum obtentorum comprehendat quoque apostatas & schismaticos?

Respondeo ad primum: de apostatis, intelligi à fide christiana, idem dicendum, quod de hæreticis; nimirum, quòd ipso jure amittant omnia beneficia; cum & ipsi sint hæretici, & plus quàm hæretici. Azor. p. 2. l. 7. c. 17. q. 1. Gonz. gl. 15. n. 66. Garc. n. 149. ubi citat Abb. in c. 1. de apostat. n. 3. Rebuff. in pr. tit. de modo amitt. benef. n. 47. & 149. quàm plurimos alios. Secus verò est de aliis apostatis, puta à religioso Ordine; quia hæc pœna in illos lata nullibi in jure exprimitur; Garc. n. 148. Rebuff. ubi antè.

2. Respondeo ad secundum quoque affirmativè: Azor ubi antè. Rebuff. loc. cit. n. 29. Paris. l. 3. q. 1. n. 36. Lott. cit. q. 28. n. 35. in quibus illos, qui negarunt sententiam privationis ipso jure porrigi ad schismaticos, non tam facile id negaturos fuisse, nullibi id caurum, si attendissent ad Constitutionem Pauli IV. (suprà citatam. Negat tamen id ipsum de schismate non conjuncto cum hæresi Garc. n. 151. ed quòd nullibi sit expressum, talem privati ipso facto; cum textus, qui afferri solent, nimirum c. nos consuetudinem. 1. 2. dist. loquatur de hæreticis; c. quis diligentia. De elect. verò non agat de privatione antè obtentorum; veruntamen constituto illa Pauli IV. loquitur indistinctè de schismaticis, de cetero, an & qualiter schismatici incurrant excommunicationem, & nequeant, etiam si ad unitatem Ecclesiæ redierint, sine dispensatione impofterum obtinere beneficia, vide Garc. à n. 153.

Quaestio 232. An, & qualiter pro iustificatione hæresicos sufficiat impetrantem ostendere latam contra talem sententiam contumaciam?

Respondeo: id ipsum non sufficere (ut nec talis sententia contumacialis contra patrem lata nocet filio in ordine ad dictam pœnam incurrendam; Lott. n. 98) nisi hæresis antecederet positivè probata fuisset; tunc enim absens non tam dicitur condemnatus propter contumaciam, quàm propter malam causam. Lott. cit. q. 28. n. 99. vel nisi per incrementum contumaciæ simplex suspicio criminis transierit in violentam præsumptionem ex annali tolerantia censurarum. Licet enim esse possit talem contumacem etiam in veritate non esse hæreticum, tamen propter contemptum, qui post annum contumaciæ superadditur, inducitur contra eum præsumptio juris, & de jure, ita ut omnes pœnas hæreticis inflictas sustinere debeat, ut Hostiens. in c. excommunicamus. sub n. 3. modò tamen ab initio tanquam suspectus, excommunicatus & monitus se purgare, intra annum id non curavit. Lott. à n. 101. qui tamen addit n. 104. quòd si, dum pendet annus, alteri beneficium conferatur, ipse verò mox abjuret, & absolvatur, recuperet beneficium, cum talis abjuratio censeatur purgativa; ut Achill. decis. unica de hæretic. n. 1.

Quaest.

Questio 233. An, & qualiter vacent beneficia obventa ad preces hereticorum?

R. Espondeo: vacare illa ipso jure, Barb. juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 50. citans c. 2. de heretic. in 6. Azor. p. 1. l. 3. c. 18. Chok ad reg. 3. gl. 7. n. 13. Vivian. in pr.

jurisp. l. 5. c. 5. m. 69. Gonz. gl. 15. n. 68. addens illos, qui scienter illa receperint, prater amissionem seu vacationem illorum beneficiorum, ipso jure effici inhabiles ad alia obtriuenda per eundem textum citati capitis 2.

CAPUT QUARTUM.

DE VACATIONE PER RESIGNATIONEM, SEV DE RESIGNATIONE BENEFICIORVM &c.

PARAGRAPHVS I.

Quid & quotuplex resignatio, quæ ejus vis ad inducendam vacationem, revocationem procuratoris, amissionem fructuum, liberationem ab oneribus beneficio impositis, item quoad pariendum jus vel obligationes & præjudicia resignatario, &c.

Questio 234. Quid sit resignatio seu renunciatio beneficii?

1.  Espondeo: est dimissio spontanea proprii beneficii coram legitimo Superiore id acceptante. Laym. ad tit. de renunc. ad initium. Tond. qq. benef. p. 2. c. 4. §. 7. n. 1. Azor. p. 2. l. 7. c. 19. q. 1. Paris. l. 1. q. 1. n. 34. nisi quod hi omittant posteriores illas particulas, id acceptante. Paris. in super addat: facta ex justa causa.

2. Dicitur primò dimissio: quod est verbum proprium huic materiae, utpote quo frequenter utuntur canones de beneficiorum renunciatione loquentes, ut videre est ex c. si beneficia. de prob. in 6. Extravag. Execrabilis Paris. loc. cit. n. 42. & stat loco generis, utpote complectens quemcumque actum, per quem quis proprium jus à se abdicat, idque tam in spiritalibus, quam temporalibus. Paris. n. 40. Idemque est, & sonat, quod depono, vel in quo, seu de-relinquo, ut Paris. n. 41. Item quod cedo, depono. Azor. loc. cit. Castrop. de benef. tr. 13. d. 6. p. 2. §. 1. n. 1. Et verba hæc resignare, renunciare, cedere, in præsentem materiam, confunduntur, & sumuntur pro eodem. Paris. n. 71. Quamvis aliàs renunciare potius quam cedere, denotet liberè & nemine compellente factam depositionem, seu derelictionem beneficii; unde & renunciatio beneficii sit necessariò coram Superiore; non item simplex cessio; Laym. ad c. quidam. de renunc. n. 2. quin &c., ut Tond. loc. cit. dimissionis n. 1. Leuren. Fori Benef. Tom. III.

men non nisi sumptum latius, comprehendat resignationem permutationis gratià, seu in favorem alterius; strictè vero sumptum simplicem desertionem beneficii significat. Quæter autem de cetero verba hæc, cedere, resignare sint æquivoca in aliis materiis, vide apud eundem Paris. n. 67. & 68.

3. Dicitur secundò: spontanea vel libera; debet quippe fieri sponte & liberè, & esse actus voluntarius, ut Lamb. de jurep. l. 1. q. 6. a. 6. m. 21. Paris. n. 43. & 46. & sic per hoc verbum excluditur vis, dolus, metus, & omnis coactio; dimissio enim coacta non est propriè cessio. Paris. n. 44. estque resignatio coacta nulla; actus autem nullus propriè non est actus; juxta l. 2. §. condemnatum. ff. de sent. & re judic. Paris. n. 45. Item excluditur per verbum illud legitima privatio; dimissio enim qua fit, lege in poenam delicti cogente relinquere beneficium, non est spontanea, Paris. n. 47. Engels ad tit. de renunciatio. ne. num. 1.

4. Dicitur tertio: beneficio proprii seu obtenti, hoc est, in quo quis jus habet; nemo enim juri alieno, vel juri, quod non habet, cedere vel renunciare potest. Paris. à n. 50. Hinc etsi quis renunciare possit jure sibi quæsito per Electionem, vel præsentationem, non est ea tamen renunciatio beneficii, sed solum juris ad beneficium; & talis juris dimissionem potest cessio, quam renunciationem dici posse; si veram & propriam verbi significationem attendamus, ait Barbof. juris Eccl. l. 3. c. 15. n. 3. Et qui dimittit possessionem beneficii, quo jam jure ipso privatus est, sive in quo jus nullum amplius habet, non est dimissio beneficii, de qua hic.

5. Dicitur quarto: facta coram legitimo Superiore; requiritur enim ad valorem resignationis (intelligè expressa) ut fiat coram legitimo Superiore, & facta sine auctoritate Superioris nullius est momenti. Barbof. loc. cit. n. 16. ex Paris. l. 7. q. 1. n. 9. de quo plura inferius.

6. Dicitur denique: & ab eo acceptata, siquidem resignare propriè, seu beneficium & munus servendi Ecclesiæ à se abdicare, non consistit in sola beneficiarii voluntate, sed simul ad Prælatum spectat; utpote cujus est, ponderatis omnibus inspicere, utilè sit Ecclesiæ dimissionem admittere, an repudiare? dum in collatione initus quidam quasi contractus, per quem beneficiatus obligatur Ecclesiæ, & hæc ad beneficiatum pro servitio alendum, alstringitur, Barb. loc. cit. n. 14. & 15. sed & de hoc inferius ex professo.

7. Verum, ut data definitio comprehendat tam